Annus XIX - Vol. XIX 1 Aprilis 1927 Num. 4

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

SUMMARIUM

Acta Pii PP. XI: Constitutiones Apostolicae, p. 121 - Litterae Apostolicae, p. 128 - Epistolae, p. 131.

Acta SS. Congregationum: *S. C. Consistorialis:* Provisio Ecclesiarum, p. 137 - *S. C. Concilii:* Dubium de potestate Ordinarii, p. 138 - *S. C. de Religiosis:* I. Dubium de consecratione virginum, p. 138. II. Approbationes, p. 139 - *S. C. de Propaganda Fide:* Nominatio, p. 139 - *S. C. Rituum:* I. Eistetten. Confirmatio cultus B. Stillae, p. 140. II. Albanen. Introductio causae S. D. I. Merlini, p. 143. III. Neapolitan. Introductio causae S. D. Michaelis Longo, p. 147. IV. Taurinen. Super virtutibus Ven. I. Bosco, p. 150. V. Elogia Martyrologio inserenda, p. 154. VI. Conimbricen. Dubia, p. 157. VII. Zagrabien. Decretum de Missali, p. 156.

Acta Tribunalium: *S. Poenitentiaria Apostolica:* I. Dubia de fautoribus factionis vulgo *A. F.*, p. 157. II. Indulgentiis ditatur actus consecrationis in festo D. N. I. C. Regis, p. 159.

Acta Officiorum: *Commissio Pontificia de Re Biblica:* Declaratio de laurea, p. 160 - *Pontificia Commissio ad Codicis canones authentice interpretandos:* Responsa, p. 161.

Diarium Romanae Curiae: S. C. dei Riti: Congregazioni Preparatoria, Antipreparatoria e Particolare - Segreteria di Stato: Nomine, onorificenze - Maggiordomato: Nomine - Necrologio, pp. 162-168.

ROMAE

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M · DCCCC · XXVII

Directio: Palazzo della Cancelleria — Roma.

Administratio: Libreria Vaticana — Roma.

Pretium annuae subnotationis
Pro Italia, Lib. 20 — Extra Italiam, *L. it.* 35 —
Pretium unius fasciculi, Lib. 8 —

« Bis fere in mense (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur »* (Ex *Commentarii Officialis* ratione die 29 octobris 1908 edita).

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XIX, n. 4 - 1 Aprilis 1927)

ACTA PII PP. XI

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

PAG.

I. *Nostri pastoralis officii.* - Erectionis paroeciae S. Benedicti extra portam S. Pauli - *3 Iunii 1926* 122
II. *Ad culmen Apostolicae.* - Erectio paroeciae Ss. Angelorum Custodum in regione «Monte Sacro». - *2 Octobris 1926* . . 123
III. *Regis Pacifici.* - Erectio paroeciae Sacri Cordis Iesu Christi Regis. - *13 Oct. 1926* 125

LITTERAE APOSTOLICAE

I. *Quae catholico nomini.* - Immutatur nomen praefecturae apostolicae de Cook et Manihiki. - *11 Augusti 1926* 128
II. *Lapurdense templum.* - Ecclesia Sacratissimi Rosarii B. M. V. Lapurdi exstans sub principe templo Basilicae minoris honoribus augetur. - *24 Septembris 1926* 129
III. *Cum ex apostolico munere.* - Immutatur nomen vicariatus apostolici de Uellé Orientali. - *14 Decembris 1926.* . . . 130
IV. *Non sine.* - Praefectura apostolica de Kong-moon in Sinis ad vicariatum apostolicum evehitur. - *3 Februarii 1927* . 130

EPISTOLAE

I. *Quod vobis.* - Ad Eum P. D. Antonium tit. SS. Marcellini et Petri S. R. E. presb. Card. Mendes Bello, Patriarcham Lisbonensem aliosque Archiepiscopos et Episcopos Lusitaniae ad communes litteras ex concilio datas respondet. - *16 Novembris 1926* 131
II. *Deiparam Virginem.* - Ad R. P. D. Benedictum Aloisi Masella, Archiepiscopum tit. Caesariensem, eundemque apud Chilensem Rempublicam Nuntium Apostolicum, quem legatum mittit ad solemnia coronationis B. M. V. De Monte Carmelo in urbe Sancti Iacobi. - *29 Nov. 1926* . 132
III. *Catholicum istud.* - Ad R. P. D. Hectorem Quilliet Episcopum Insulensem, ob quinquagesimum expletum annum a condita Insula catholica studiorum universitate. - *6 Decembris 1926* 133
IV. *Gratissimae nobis.* - Ad RR. PP. DD. Czechoslovachiae Archiepiscopos et Episcopos communicus litteris respondens: de cleri reique catholicae incremento procurando. - *20 Februarii 1927* . . . 134

ACTA SS. CONGREGATIONUM

S. CONGREGATIO CONSISTORIALIS

Provisio Ecclesiarum 137

S. CONGREGATIO CONCILII

Romana et aliarum. - Dubia. - *15 Martii 1927* 138

S. CONGREGATIO DE RELIGIOSIS

I. Dubium de consecratione virginum pro mulieribus in saeculo viventibus. - *25 Martii 1927* 138
II. Approbationes 139

S. CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

PAG.

Nominatio 139

S. CONGREGATIO RITUUM

I. *Eisletten.* - Confirmationis cultus ab immemorabili tempore praestiti Servae Dei Stillae virgini Beatae nuncupatae. - *12 Ianuarii 1927* 140
II. *Albanen.* - Introductionis causae beatificationis S. D. Ioannis Merlini, sacerdotis moderatoris generalis Congregationis Missionariorum Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C. - *26 Ianuarii 1927.* . . . 143
III. *Neapolitana.* - Introductionis causae beatificationis S. D. Michaelis Angeli Longo a Mariliano, sacerdotis professi Ordinis Fratrum Minorum. - *26 Ianuarii 1927* . 147
IV. *Taurinen.* - Decretum super virtutibus theologalibus beatificationis et canonizationis Ven. Servi Dei Ioannis Bosco, sacerdotis fundatoris Piae Societatis Salesianae et Instituti Filiarum Mariae Auxiliatricis. - *20 Februarii 1927* . . 150
V. Elogia Martyrologio Romano adiicienda. - *26 Ianuarii 1927* 154
VI. *Conimbricen.* - Dubia circa festum Sacratissimi Cordis Iesu in Lusitania. - *18 Februarii 1927* 155
VII. *Zagrabien. et aliarum.* - Decretum. - *9 Martii 1927* 156

ACTA TRIBUNALIUM

S. POENITENTIARIA APOSTOLICA

I. Dubia: de fautoribus factionis vulgo «Action Française». - *8 Martii 1927* . 157

(OFFICIUM DE INDULGENTIIS)

II. Actus sollemnis dedicationis humani generis in festo D. N. Iesu Christi Regis, indulgentiis ditatur. - *15 Februarii 1927* 159

ACTA OFFICIORUM

COMMISSIO PONTIFICIA DE RE BIBLICA

De laurea in theologia ad gradus academicos in Sacra Scriptura obtinendos requisita. - *26 Februarii 1927* 160

PONTIFICIA COMMISSIO AD CODICIS CANONES AUTHENTICE INTERPRETANDOS

Responsa ad proposita dubia. - *6 Martii 1927* 161

DIARIUM ROMANAE CURIAE

I. S. Congregazione dei Riti: *Congregazioni Preparatoria, Antipreparatoria* e *Particolare* 162
II. Segreteria di Stato: *Nomine. Onorificenze* 163
III. Maggiordomato di S. S.: *Nomine* . . . 167
V. Necrologio 168

Annus XIX - Vol. XIX 1 Aprilis 1927 Num. 4

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XI

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

URBIS

ERECTIONIS PAROECIAE S. BENEDICTI EXTRA PORTAM S. PAULI

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Nostri pastoralis officii sollicitudo requirit ut ea, quae in divini cultus augmentum et aptiorem animarum curam cedere noscuntur, a Nobis pro viribus promoveantur et incunctanter adimplere curentur, opportuna media adhibendo ut animarum gubernio salubriter prospici queat. Cum Nos autem propter officium Episcopi huius Almae Urbis ab aeterno Pastorum Principe Nobis, licet immerito, commissum, spirituale bonum fidelium Romae commorantium diligenter ac directe curare debeamus, inspectis tum circumstantiarum et temporum ratione, tum incolarum numero in dies percrescente, ad novarum paroeciarum erectionem deveniendum censuimus. Iam pluribus abhinc annis in territorio paroeciae Basilicae Patriarchalis S. Pauli extra muros quamplures domus exstructae fuerunt et incolarum numerus illas habitantium magis magisque percrevit, ita ut unus Pastor nequiverit eorum curam habere et propter distantiam inter Basilicam Ostiensem, in

extremis finibus paroeciae sitam, et novas aedes ad moenia Urbana exstructas intercedentem non absque magna difficultate fideles ad ecclesiam accedere poterant ad sacra persolvenda, sacrosancta Sacramenta recipienda et catechesim discendam. Ex iis motus f. r. pientissimus Benedictus Papa decimus quintus, Praedecessor Noster statuit, ut in illa parte dictae paroeciae territorii, quae est apud moenia et igitur longe a Basilica, quaedam elementaria schola institueretur in qua pueri ad christianam religionem et bonas artes informarentur. Hanc scholam tradidit monialibus, vulgo « Maestre Pie Filippini » quae optime mandatum Summi Pastoris adimpleverunt. Deinde ecclesiam ibi aedificari iussit, quam Deo Optimo Maximo ac divo Benedicto Abbati dicatam voluit. Cum vero incolarum numerus apud hoc novum templum augeri non desiverit, necessitas patuit ut nova paroecia in eo institueretur. Nos igitur, suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit, vel sua interesse praesumant consensu, omnibus mature perpensis, praedictam ecclesiam S. Benedicti Abbatis, apud Portam S. Pauli huius almae Urbis, suprema Nostra auctoritate in paroeciam erigimus, ac per praesentes Litteras erectam declaramus, attributis ei territorio a paroecia S. Pauli extra muros dismembrando ac congrua a Nobis adsignanda et aedibus parochialibus exstruendis, cum omnibus iuribus, privilegiis, favoribus et gratiis, quibus aliae paroeciae Urbis fruuntur et gaudent. Paroeciam ita noviter erectam pleno iure curae concredimus Piae Societatis Sancti Pauli in Urbe exstanti et Presbyter eidem Societati addictus et rite adprobatus eiusdem parochus erit. Ad novae huius paroeciae fines statuendos, et ad omnia alia decernenda et definienda propter hanc dismembrationem et erectionem, deputamus venerabilem fratrem Nostrum Basilium, Episcopum Velitternum, S. R. E. Cardinalem Pompilj, Nostrum in Urbe generalem in spiritualibus Vicarium et eidem necessarias huic negotio facultates tribuimus, etiam subdelegandi alium virum in ecclesiastica dignitate constitutum ac definitive sententiam dicendi de quavis occurrente difficultate vel oppositione in exsecutionis actu oritura, imposito ei onere perficiendi, custodiendi in archivo Vicariatus Urbis fidem, authentica forma exaratam, absolutae exsecutionis huius Nostri mandati. Quae autem hisce Litteris, Apostolica auctoritate, a Nobis decreta sunt, nulli hominum, nullo unquam tempore, infringere, aut iis repugnare, vel quomodolibet contraire liceat, etiam ex eo quod quilibet, quorum interest, vel sua interesse praesumant aut in praemissis ius, quocumque ex titulo habeant, vel habere praesumant, auditi non fuerint, aut praemissis non consenserint. Si quis vero, quod Deus avertat, hoc attentare praesumpserit, sciat obnoxium se evasurum esse poenis a sacris canonibus contra obsistentes exercitio ecclesiasticae iurisdictionis statutis. Decernimus denique has praesentes Litteras valituras, contrariis

quibuslibet non obstantibus, etiam Praedecessorum Nostrorum constitutionibus et ordinationibus aliisque peculiari et expressa mentione dignis.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo vigesimo sexto die tertia mensis iunii, in festo Ssmi Corporis Domini Nostri Iesu Christi, Pontificatus Nostri anno quinto.

✠ B. Card. POMPILJ,
Episc. Veliternus.

O. Card. CAGIANO,
S. R. E. Cancellarius.

Dominicus Jorio, *Protonotarius Apostolicus.*
Alfonsus Carinci, *Protonotarius Apostolicus.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. XXXIV, n. 59. – M. Riggi.

II

URBIS

ERECTIO PAROECIAE SS. ANGELORUM CUSTODUM IN REGIONE « MONTE SACRO »

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ad culmen Apostolicae dignitatis, quamvis immerito, ineffabili divinae Providentiae consilio evecti, dum omni studio ac solertia universi dominici gregis aeternae saluti prospicere contendimus, potiore quadam sollicitudine dilectissimae illius gregis parti, quae in hac alma Urbe sub ipsis Nostris oculis versatur, maiora commoda procurare vel maxime optamus. Et cum ex apta paroeciarum circumscriptione spirituale animarum bonum non parum pendeat, ea omnia peragere libentissime studemus, quae ad ipsius Urbis paroecias recte moderandas pertinere dignoscimus.

Cum itaque regio illa « Monte Sacro » vulgo nuncupata, extra portam Nomentanam trans Anionem flumen, in qua pauci antea et rari incolae agris colendis incumbebant ab aliquot annis civibus frequentari coepta sit, nova ibi huius Apostolicae Sedis cura aedes exstructa est in honorem Sanctorum Angelorum Custodum Deo dicata. – Nunc vero in regione illa, uti in aliis suburbanis, incolarum numerus adeo in dies crevit ut spiritualis eorum salus maiora ad religionem colendam adiumenta requirat.

Nos igitur, considerantes paroecialem S. Agnetis ecclesiam, in cuius territorio regio illa « Monte Sacro » hactenus continetur, nimis ab hac regione distare, valde opportunum duximus novam paroeciam ibi constituere, ut

facilius spiritualibus necessitatibus christifidelium inibi commorantium occurratur et documentum simul praebeatur Nostrae erga SS. Angelos Custodes devotionis, quos speciali cultu a pueritia prosequimur. Apostolicae ergo potestatis plenitudine ibi novam ac distinctam paroeciam erigimus, et quam supra diximus SS. Angelorum Custodum aedem ad ecclesiae paroecialis gradum et dignitatem evehimus ac propterea eidem eiusque pro tempore parochis iura omnia et privilegia concedimus, quibus aliae huius almae Urbis parochiales ecclesiae eorumque parochi fruuntur ac gaudent, eisdemque onera omnia et obligationes imponimus, quibus alii Urbis parochi iure communi vel legitima consuetudine subiiciuntur. Huius vero novae SS. Angelorum Custodum ac finitimarum paroeciarum terminos definiendos committimus venerabili fratri Nostro Cardinali vicaria potestate Urbis Antistiti. Pro dotatione autem eiusdem sic noviter erectae paroeciae assignamus domum parochialem iam ibidem exstructam atque reditus, iura et bona omnia quae fuerunt paroeciae S. Mariae Magdalenae de Urbe, quam Litteris Apostolicis *Susceptum* die vigesima quarta mensis Octobris anno millesimo nongentesimo sexto datis fel. rec. Pius Papa Decimus Praedecessor Noster abolevit et extinxit.

Novae autem huius paroeciae SS. Angelorum Custodum curam Congregationi Clericorum Regularium Minorum quae quintum iam annum sacerdotale ministerium maxima cum utilitate animarum ibi exercet pleno iure committimus. Considerantes enim Clericos Regulares Minores quasi ab exordiis suae Congregationis, ab anno scilicet millesimo sexcentesimo sexto, quo S. Laurentii in Lucina paroecia a fel. rec. Paulo Papa Quinto Praedecessore Nostro fuit ipsis credita, parochiale ministerium in hac alma Urbe iamdiu laudabiliter exercuisse, firmam spem concipimus illos, qui in Sancto Francisco Caracciolo, suae Congregationis institutore, mirum omnium virtutum sacerdotalium habent exemplum, novam etiam paroeciam SS. Angelorum Custodum sibi modo commissam Dei fretos auxilio vigili industria, studio et prudentia recturos atque oves suis curis creditas ad Domini pascua naviter ducturos fore. – Decernentes praesentes Litteras firmas validas et efficaces semper esse et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque irritum esse et inane si secus super his a quoquam scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Rebus itaque ut supra dispositis ad eadem omnia exsecutioni mandanda deputamus eumdem venerabilem fratrem Basilium Episcopum Veliternum S. R. E. Cardinalem Pompilj, Nostrum in Urbe Vicarium Generalem cui propterea necessarias et opportunas facultates concedimus etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur alium virum in officio vel ecclesiastica dignitate constitutum, cum potestate dirimendi controversias in exsecu-

tionis actu orituras, facto insuper eidem onere redigendi authenticum exemplar peractae exsecutionis et in tabulario Vicariatus illud adservandi. Volumus quoque ut harum Litterarum transumptis etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis ac sigillo viri in ecclesiastica dignitate, vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides quae hisce Litteris Nostris tribueretur si originaliter exhibitae, vel ostensae forent. Non obstantibus, quatenus opus sit, regulis in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque Conciliis editis, aliisque constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, vel quavis alia firmitate roboratis statutis, consuetudinibus ceterisque contrariis quibuslibet, etiam specialissima mentione dignis, quibus omnibus per praesentes auctoritate Apostolica derogamus.

Nemini autem has Litteras Nostras dismembrationis, erectionis, concessionis, statuti, mandati, derogationis et voluntatis Nostrae infringere, vel eis contraire liceat. Si quis autem ausu temerario hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum Eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo vigesimo sexto, die secunda mensis Octobris, in festo SS. Angelorum Custodum, Pontificatus Nostri anno quinto.

✠ B. CARD. POMPILJ,
Episc. Velitern.

O. CARD. CAGIANO,
S. R. E. Cancellarius.

Dominicus Jorio, *Protonotarius Apostolicus.*
Alfonsus Carinci, *Protonotarius Apostolicus.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. XXXV, n. 1. – M. Riggi.

III

URBIS

ERECTIO PAROECIAE SACRI CORDIS IESU CHRISTI REGIS

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Regis Pacifici, qui regnat in caelis, licet immerito vices gerentes in terris, assidua sollicitudine curare debemus ut, dum spiritualibus omnium christifidelium necessitatibus consulere satagimus, maiores curas confe-

ramus ad salutaria procuranda subsidia iis potissimum, quos sub ipsis oculis Nostris viventes ad aeternam salutem consequendam remediis indigere non ignoramus. In hac quidem Nostra alma Urbe, postremis hisce annis, ut in aliis regionibus praesertim extremis, in vasta agri planitie, infra *Montem Malum* et Tiberim flumen veluti nova est exorta civitas, matri Urbi utique coagmentata, cuius incolarum numerus brevi tempore ad plura millia iam crevisse noscitur et in dies multiplicari videtur. Ibi Dei disponente gratia, pia Presbyterorum Societas a Sacro Corde Iesu, quae, in urbe S. Quintini dioecesis Suessionensis abhic annos prope quinquaginta ut flos pulcher ac redolens germinata, fructus in agro militantis Ecclesiae velut arbor bona hactenus produxit, domum forsan primam a fundamentis excitavit, et annum iam septimum delegata potestate, animarum curam pro fidelibus huius novae Urbis regionis libenter et maximo studio suscepit. At cum regio ista tot iam civibus frequens a paroeciali ecclesia S. Ioachim, cui modo subiicitur, nimis distare videretur, novam ibi exstruere aedem ad spiritualia subsidia eis aptius procuranda omnino necessarium visum est. Opera igitur praesertim et zelo, quo flagrat, dilecti filii Octavii Gasparri, praefatae Societatis Procuratoris generalis, atque piis totius orbis catholici fidelium erogationibus, fel. rec. Benedicto Papa XV Praedecessore Nostro praeeunte, magnificentissimum aedificari coeptum est templum, sacratissimo Cordi Iesu Christi Regis Pacifici dicandum, quod omnium catholicarum nationum fidei et pietatis votivum, post ultimum immane bellum, esset monumentum, mole et arte insigne, in quo et pro universo terrarum orbe « pax Christi in regno Christi » et pro omnibus cuiusque nationis, qui in bello ipso ceciderunt, pax aeterna in caelis sit perpetuo impetranda. Nos itaque omnia ut supra diximus considerantes, obtento vel suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit, vel sua interesse praesumant consensu, de Apostolicae potestatis plenitudine, a paroecia S. Ioachim et, si opus fuerit, a finitimis etiam paroeciis, territorium, a venerabili fratre Nostro S. R. E. Cardinali in Urbe Vicario definiendum, seiungimus ac separamus et ex eo novam et distinctam paroeciam a Sacro Corde Christi Regis nuncupandam constituere ac erigere decrevimus ac praesentibus Litteris suprema Nostra auctoritate erigimus et constituimus; eamque praefatae Presbyterorum Societati a Sacro Corde Iesu *pleno iure* committimus. Huius autem novae paroeciae ecclesiam parochialem sub Sacratissimi Cordis Iesu Christi Regis Pacifici titulo consecrandam, decernimus ac declaramus, quod supra memoravimus Templum etsi nondum perfectum, in cuius tamen amplissima crypta divina mysteria maxima populi frequentia iam assidue peraguntur; eidemque propterea eiusque pro tempore parochis omnia concedimus iura,

privilegia et praerogativas, quibus ceterae paroeciales Urbis ecclesiae earumque parochi iure communi vel legitima consuetudine fruuntur et gaudent; eisque pariter onera omnia et obligationes imponimus, quibus ceteri Urbis parochi subiiciuntur. Pro dotatione vero sic noviter erectae paroeciae et honesta parochi eiusque vices gerentium substentatione, praeter domum paroecialem, congruam dotem Nos ipsi assignabimus. Rebus itaque ut supra dispositis, ad eadem omnia exsecutioni mandanda venerabilem fratrem nostrum Basilium, Episcopum Veliternum, S. R. E. Cardinalem in Urbe Vicarium Generalem deputamus, cui propterea necessarias et opportunas concedimus facultates etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur alium virum in officio vel ecclesiastica dignitate constitutum, cum potestate dirimendi controversias, si quae in exsecutionis actu oriturae sint, facto insuper eidem onere authenticum exemplar peractae exsecutionis redigendi et in tabulario Vicariatus Urbis illud religiose adservandi. Volumus quoque ut harum Litterarum transumptis etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis ac sigillo viri in ecclesiastica dignitate, vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae hisce Litteris Nostris tribueretur, si originaliter exhibitae vel ostensae forent. Non obstantibus quatenus opus sit, regulis in synodalibus, provincialibus, generalibus universalibusque Conciliis editis, aliisque constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, vel quavis alia firmitate roboratis, statutis, consuetudinibus ceterisque contrariis quibuslibet, etiam specialissima mentione dignis, quibus omnibus per praesentes auctoritate Apostolica derogamus.

Nemini autem has Litteras Nostras dismembrationis, erectionis, concessionis, statuti, mandati, derogationis et voluntatis Nostrae infringere, vel eis contraire liceat. Si quis autem ausu temerario hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum Eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo vigesimo sexto, die trigesima prima mensis Octobris, in festo Christi Regis, Pontificatus Nostri anno quinto.

✠ B. Card. POMPILJ,
Episc. Velitern.

O. Card. CAGIANO,
S. R. E. Cancellarius.

Alfonsus Carinci, *Protonotarius Apostolicus.*
Dominicus Spolverini, *Protonotarius Apostolicus.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap. vol. XXXV, n. 2. – M. Riggi.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

IMMUTATUR NOMEN PRAEFECTURAE APOSTOLICAE DE COOK ET MANIHIKI

PIUS PP. XI

Ad futuram rei memoriam. — Quae catholico nomini aeternaeque fidelium saluti bene, prospere ac feliciter eveniant, ea ut sollicito studio decernamus, Nos admonet supremi apostolatus munus, quo divinitus in terris fungimur. Iamvero cum Bernardinus Castanié, hodiernus Praefectus Apostolicus de Cook et Manihiki Nos enixe flagitaverit, ut denominatio ecclesiastica suae apostolicae praefecturae denominationi civili conformis redderetur, et proinde ab archipelago tantummodo insularum de Cook nomen obtineret: Nos, collatis consiliis cum venerabilibus fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, omnibusque rei momentis attente perpensis, supradicti Praefecti Apostolici precibus benigne concedendum esse censuimus. Quare motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium tenore, titulo praefecturae apostolicae de Cook et Manihiki adiectionem *de Manihiki* supprimimus, ita ut in posterum tantum appelletur praefectura apostolica *de Cook*.

Haec volumus, edicimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere; illisque ad quos pertinent, sive pertinere poterunt, nunc et in posterum amplissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XI mensis Augusti anno MDCCCCXXVI, Pontificatus Nostri quinto.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status*.

II

ECCLESIA SACRATISSIMI ROSARII B. M. V. LAPURDI EXSTANS SUB PRINCIPE TEMPLO BASILICAE MINORIS HONORIBUS AUGETUR.

PIUS PP. XI

Ad perpetuam rei memoriam. — Lapurdense templum, celeberrimum Virginis sanctuarium, Romani Pontifices Nostri Decessores singularibus privilegiis ac perhonorificis titulis auxerunt. Hac mente cum venerabilis frater Franciscus Xaverius Schoepfer, Episcopus Tarbiensium et Lourdensium, Nos enixis precibus flagitaverit, ut, inspecto iugiter percrebrescente peregrinorum numero, et supplicationum sacrarum pompa ac frequentia, etiam ecclesiam in honorem Sacratissimi Rosarii Beatae Mariae Virginis dicatam, et subtus Basilicam Beatae Mariae Virginis Immaculatae de Lourdes exstantem, ad titulum ac dignitatem Basilicae minoris promovere velimus, Nos optatis hisce concedendum ultro libenterque existimavimus. Conlatis itaque consiliis cum venerabili fratre Nostro Antonio S. R. E. Cardinali Vico, Episcopo Portuensi ac Sanctae Rufinae, Sacrorum Rituum Congregationis Praefecto, motu proprio atque ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium tenore perpetuumque in modum, inferiorem ecclesiam sanctuarii Lapurdensis, in honorem Sacratissimi Rosarii B. M. Virginis, de speciali gratia, in titulum ac dignitatem Basilicae minoris evehimus, cum privilegiis atque honorificentiis iuxta decreta Sacrorum Rituum Congregationis eidem titulo adiectis.

Haec largimur, edicimusque decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque actuosas continuo exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere; illisque ad quos spectant sive spectare poterunt, nunc et in posterum, perpetuo suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuslibet.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXIV mensis Septembris anno MDCCCCXXVI, Pontificatus Nostri quinto.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status*.

III

IMMUTATUR NOMEN VICARIATUS APOSTOLICI DE UELLÉ ORIENTALI

PIUS PP. XI

Ad futuram rei memoriam. — Cum ex Apostolico munere, quo fungimur, omnia ad ecclesiarum regimen pertinentia negotia, sint Nobis commissa, idcirco cum venerabilis frater Robertus Lagae, Vicarius Apostolicus Uellen. Orientalis in Congo Belgico, nuper Nos flagitaverit ut nomen dictae Missionis deinceps, loco de Uellé Orientali, sit de *Niangara:* Nos repetentes animo nomen ipsum provenire e districtu in quo Ordinarius Missionis rector residentiam habet, optatis his concedendum existimavimus. Conlatis itaque consiliis cum venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, negotiis Propagandae Fidei praepositis, omnibusque rei momentis attento studio perpensis, motu proprio atque ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, praesentium tenore edicimus ac mandamus, ut deinceps loco de Uellé Orientali vicariatus apostolicus supramemoratus e districtu, in quo Ordinarius sedem obtinet, appelletur vicariatus apostolicus *de Niangara.*

Haec praecipimus decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere; illisque ad quos pertinent, sive pertinere poterunt, nunc et in posterum amplissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuslibet.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XIV mensis Decembris, anno MDCCCCXXVI Pontificatus Nostri quinto.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

IV

PRAEFECTURA APOSTOLICA DE KONG-MOON IN SINIS AD VICARIATUM APOSTOLICUM EVEHITUR.

PIUS PP. XI

Ad futuram rei memoriam. — Non sine magna animi Nostri laetitia comperimus in praefectura apostolica de Kong-moon in Sinis, catholicam rem feliciter convaluisse; ideoque cum venerabilis frater Celsus Costantini, Archiepiscopus titulo Theodosiopolitanus et Delegatus Apostolicus in Sinis,

Nos enixe flagitaverit, ut ad maius animarum bonum, eadem praefectura de Kong-moon, quae curis Societatis pro Missionibus Exteris de Maryknoll concredita, elapsis annis ampliora suscepit, favente Deo, incrementa, in vicariatum apostolicum erigeretur, Nos Antistitis laudati votis ultro libenterque concedendum esse existimavimus. Itaque collatis consiliis cum venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, omnibusque rei momentis sedulo studio perpensis, motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium tenore praefecturam apostolicam de Kong-moon ad ampliorem dignitatem vicariatus apostolici, iisdem servatis finibus et titulo de Kong-moon evehimus. Porro volumus ut novus idem de Kong-moon apostolicus vicariatus, proprio Antistiti committendus, curis concreditus maneat frugiferae Societatis pro Missionibus Exteris de Maryknoll.

Haec edicimus, mandamus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere; illisque ad quos spectant sive spectare poterunt, nunc et in posterum amplissime suffragari, sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuslibet.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die III mensis Februarii anno MDCCCCXXVII, Pontificatus Nostri quinto.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

EPISTOLAE

I

AD EMUM P. D. ANTONIUM TIT. SS. MARCELLINI ET PETRI S. R. E. PRESB. CARD. MENDES BELLO, PATRIARCHAM LISBONENSEM ALIOSQUE ARCHIEPISCOPOS ET EPISCOPOS LUSITANIAE: AD COMMUNES LITTERAS EX CONCILIO DATAS RESPONDET.

PIUS PP. XI

Dilecte fili Noster, venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem. — Quod vobis in votis erat, episcopale nempe ex universa Lusitania Concilium congregare, id vos in eo iam esse ut perficiatis, haud ita pridem magno sane gaudio comperimus. Rerum enim condicio nostrorumque temporum necessitates omnino postulare videntur ut non modo dioe-

cesium Pastores in dominici gregis incrementum omni qua possunt alacritate incumbant, sed etiam, collatis consiliis, singulari quadam animi conspiratione ea potissimum persequantur quae aptius ad Dei gloriam animarumque salutem conducere reputaverint. Cum vero Episcoporum concilia dum mutuam inter Pastores fovent caritatem eo praecipue spectent ut quam quisque in suo obeundo munere prudentiam rerumque peritiam adeptus fuerit eam in communis causae emolumentum conferat, non dubitamus quin salutares illi fructus, quos Nosmet vobiscum vehementer exoptamus, ex vestro, quem proxime celebrabitis, coetu sint profecturi. Itaque vobis ex animo gratulati, Deum enixe adprecamur ut quos ad Conventum hunc vestrum apparandum explendumque labores impendistis, prosperet atque fortunet. Placet autem potissimum ominari ut quemadmodum vos, vel huiusmodi coetibus, egregium consensionis exemplum praebetis, ita clerus populusque vester, Pastorum vestigiis insistendo, mutuam inter se pacem et concordiam magis magisque in dies foveant ac studiose confirment. Caelestium interea gratiarum auspicem itemque peculiaris benevolentiae Nostrae testem cum vobis, dilecte fili Noster et venerabiles fratres, tum gregi unicuique vestrum concredito apostolicam benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XVI mensis Novembris anno MDCCCCXXVI, Pontificatus Nostri quinto.

PIUS PP. XI

II

AD R. P. D. BENEDICTUM ALOISI MASELLA, ARCHIEPISCOPUM TIT. CAESARIENSEM, EUNDEMQUE APUD CHILENSEM REMPUBLICAM NUNTIUM APOSTOLICUM, QUEM LEGATUM MITTIT AD SOLEMNIA CORONATIONIS B. M. V. DE MONTE CARMELO IN URBE SANCTI IACOBI.

PIUS PP. XI

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Deiparam Virginem de Monte Carmelo proxime in urbe ista Chilensis Reipublicae principe, aurea corona sollemniter redimitum iri ex officiosis litteris ab Episcopo istius S. Iacobi archidioecesis Auxiliari, nuper ad Nos datis, magno cum gaudio comperimus. Quod quidem cleri populique propositum, quemadmodum ad fidem excitandam atque pietatem erga Dei Matrem fovendam quam plurimum conferet, sic gratam eorum fidelium voluntatem ob tot tantaque accepta, saeculorum decursu, ab eadem Deipara beneficia clare manifestabit. Huiusmodi enim sollemnia, quae ii acturi

sunt, laetitiam illius diei in mentem animumque Nostrum reducunt, quo die frequentissima Chilensium multitudo undique istuc convenit, ut Beatissimam Virginem a Carmelo uno animo unaque voce caelestem totius Reipublicae patronam consalutaret atque invocaret. Ex cuius profecto rei memoria atque recordatione in spem bonam erigimur fore ut ad Virginis simulacrum quam plurimi istius nationis cives sacris ritibus, haud ita multo post, ea occasione habendis intersint, atque ex iis ipsis, animos expiando, caelestium gratiarum copiam hauriant ac percipiant. Itaque, cum non ignoremus rem gratissimam clero ac populo isti facturos Nos esse si quae apparantur sollemnia quasi praesentes Nosmet ipsi participemus, te, venerabilis frater, quem Beatae Virginis amantissimum novimus, hisce litteris Legatum Nostrum deligimus ac renuntiamus, qui Nostram in tanta illa rei faustitate geras personam et coronam auream pretiosisque gemmis ornatam simulacro Virginis de Monte Carmelo, Nostris veluti manibus, imponas. Restat, ut benignissimam Dei Matrem enixe rogemus, velit non modo iis omnibus qui sacrae huic celebritati aderunt, lectissima impetrare munera, sed istam etiam nobilissimam Civitatem, ut antea suo semper tutata est patrocinio, ita in posterum quoque materna caritate tueatur, eidemque tribuat bonorum omnium incrementum. Caelestium interea donorum auspex atque paternae voluntatis Nostrae testis apostolica sit benedictio, quam tibi, venerabilis frater, cunctoque clero populoque Chilensi amantissime impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXIX mensis Novembris anno MDCCCCXXVI, Pontificatus Nostri quinto.

PIUS PP. XI

III

AD R. P. D. HECTOREM QUILLIET EPISCOPUM INSULENSEM, OB QUINQUAGESIMUM EXPLETUM ANNUM A CONDITA INSULAE CATHOLICA STUDIORUM UNIVERSITATE.

PIUS PP. XI

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Catholicum istud Athenaeum decimum fundationis lustrum superiore anno feliciter explevisse ex litteris ad Nos iam antea datis libentissime comperimus; itemque novimus huiusmodi eventus celebrationem ad diem XVII Kal. Ian. – quo die, quinquaginta ante annos, Decessor Noster f. r. Pius PP. IX, Instituti vestri erectionem Apostolicis Litteris « Ad Catholicae Ecclesiae gubernacula » comprobaverat ratamque habuerat – opportune vos communi con-

silio distulisse. Nos autem quemadmodum alia istius Nationis inlustria studiorum domicilia, haud absimili occasione data, laudibus exornare non praetermisimus, ita temperare non possumus quin vestram quoque altioribus disciplinis excolendis sedem – Nobis sane carissimam – in hac tanta rei faustitate luculento animi Nostri testimonio prosequamur. Nobis enim exploratum est, Insulensem studiorum Universitatem, tam diuturno hoc temporis spatio, sive de christiana religione, sive de ipsa hominum societate optime quidem meritam esse; quippe quae innumerabiles fere discipulos ita docuit atque instituit ut dignus quisque suis muneribus ac officiis obeundis profecto fieret et praeclaro doctrinae christianaeque vitae exemplo omnibus esset. Tot igitur tantorumque laborum recordatio ac memoria eorum omnium – quibus ista studiorum Universitas curae est – animos inflammet atque commoveat, idque auspicato efficiat, ut nunquam desint strenui catholicae veritatis propugnatores, parati quidem ad errores refellendos et ad germanae fidei integritatem omni contentione tutandam. Quid enim opportunius nostris hisce temporibus quam mirabilem inter scientiam et christianae fidei dogmata concordiam defendere atque illustrare, cum doctrina fallax et inanis, quadam fucata veritatis specie, vel lectissimi ingenii viros ad se alliciat, eosque saepius de recta via misere deducat? Faxit igitur Deus – divinae sapientiae fons atque auctor – ut nova cotidie Athenaeum vestrum capiat incrementa. Nos interea dum id vobiscum coniuncti enixe efflagitamus, divinorum munerum conciliatricem Nostraeque voluntatis testem apostolicam benedictionem tibi, venerabilis frater, Athenaei moderatoribus, magistris atque alumnis amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die VI mensis Decembris anno MDCCCCXXVI, Pontificatus Nostri quinto.

PIUS PP. XI

IV

AD RR. PP. DD. CZECHOSLOVACHIAE ARCHIEPISCOPOS ET EPISCOPOS COMMUNIBUS LITTERIS RESPONDENS: DE INCREMENTO CLERI REIQUE CATHOLICAE IMPENSIUS PROCURANDO.

PIUS PP. XI

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem. — Gratissimae Nobis acciderunt eae litterae quas mense Novembri superioris anni coniunctim ad Nos dedistis; non modo enim humanissimos animi vestri sensus testabantur, sed etiam inter alia nuntiabant vos omnino con-

sentire Nobiscum in proposito illo urgendo, quod in regione ista potius quam alibi et in praesens si umquam alias, est maximi sane ponderis ac necessitatis: ut scilicet et clerus iste, cotidie magis numero auctus, rite sancteque conformetur, et amplius commodiusque Collegium in alma hac Urbe excitetur quam primum, ubi pii ex natione vestra adulescentes in Ecclesiae bonum instituantur. Imprimisque vehementer Nos vobiscum defectionem illorum dolemus e sacro ordine hominum qui fluxarum rerum illecebris deleniti paucorumque fraudibus decepti, in omnem improbitatem atque adeo in apostasiam ipsam misere cecidere. Quam multa inde et quam magna apud vos religionis damna et animarum detrimenta consecuta sunt, quibus prospicere ratione aliqua atque mederi omnino necesse est! Persensimus equidem expressam in vestris litteris magnam aegritudinem sollicitudinemque quam vobis, in tanta curarum varietate distentis, sacerdotum affert inopia: quapropter commune Nobis est optatum vestrum alios quaerendi adiutores sacros, qui quidem, religionis spiritu calentes rationibusque pares horum temporum, in transfugarum loco sufficiantur. Ad rem assequendam nihil plus, uti patet, conferre potest quam rogare *Dominum messis ut mittat operarios in messem suam:* date igitur operam ut, publicis indictis supplicationibus, novos a Deo sacerdotes impetretis; nec dubium est quin vobis, pro sua providentia, is favere velit, cum de ipsius gloria deque aeterna animarum salute agatur. Praeterea vestrum erit eos omnes hortari qui quoquo modo puerorum educationi praesunt (curiones nempe, catechistas, catholicarum consociationum et collegiorum moderatores) ut inquirant si forte adulescentes bonae indolis frugique in sortem Domini vocentur: quae quidem tamquam sacerdotii primitiae ne vitiorum errorumque veneno inficiantur, nihil salutarius est vel opportunius quam efficere ut *Seminaria minora* (quae iam nonnulli ex vobis instituere) in unaquaque dioecesi condantur: siquidem haec sunt domicilia sacra quae tantopere et a Tridentina Synodo et in Codice iuris canonici commendantur; ubi cum facilius puerorum animi recte conformentur, tum ii parantur sacrorum alumni qui postea, a pietate atque doctrina probe instructi, sacerdotes evadant quales ab Ecclesia Dei exspectantur. Cui quidem rei non parum certe conducet si apud vos omnes illud efficiatur quod iam plures ex vobis, praescriptis laudabiliter obsequentes Apostolicae huius Sedis, ad effectum deduxerunt; ut scilicet Theologiae curriculo (quod quattuor annis constat) annus praeponatur quo clerici impensius uberiusque possint Philosophiam Scholasticam colere. Quod autem pertinet ad *Collegium Nepomucenum* in Urbe excitandum, procul dubio ipse eius titulus optimo sane auspicio est adulescenti clero e natione vestra, cui quidem gloria contigit talem sacerdotem ac martyrem Ecclesiae caelisque praebere. Ac liben-

ter Nos, ad illud constituendum, quantum Nobis licuit, et amplius fortasse quam in hac conditione rerum liceret, contulimus: in quo quidem coepta prosecuti sumus decessorum Nostrorum, qui vehementer optavere ut vestrae quoque genti, sicut ceteris, hic, sub ipsis communis Patris oculis penesque Apostolicam Cathedram, institutum proprium esset, clericis romano spiritu imbuendis. Magna certe pecuniae vis opus erit ad rem perficiendam; cum enim domus aedificationi — quae quidem in area a Nobis selecta, non procul a Lateranensi Basilica excitabitur — tum alumnorum sustentationi aliisque rebus erit, pro ipsa nationis vestrae dignitate, consulendum. Iamvero non dubitamus, venerabiles fratres, quin, praeeuntibus vobis vestroque clero, boni omnes, in hoc beneficentiae campo quasi inter se certantes, large velint Nepomucenum Collegium adiuvare. Atque istiusmodi studia, pro Dei Ecclesia eiusdemque sacrorum ministris suscepta, maerorem compensabunt quem Nos cepimus, ut ipsi meministis, ex dolenda illa commemoratione quae, cum magna catholicorum offensione, publice peracta est haeretici hominis, Ioannis Hus: idque eo gravius fuit quod, cum necessitudinum vincula officiorumque cursus isti Reipublicae cum Apostolica hac Sede intercederent, ipsi Civitatis moderatores ea sollemnia participarunt. Ex quo factum est ut Nuntium Nostrum ex Legatione ista Pragensi abhinc duos annos accire coacti simus. Gratum igitur Nobis accidit quod vos aperte hanc rem condoletis, vestram simul existimationem maximam erga Nuntium testantes, quem quidem ob merita Nosmet ipsi habemus carissimum. Profecto persuasum vobis est, venerabiles fratres, nihil insidere posse acerbitatis in paterno animo Nostro, adversus viros, quamvis catholico nomini infensos; quin immo divitem in misericordia Deum enixe orare non desistimus ut iidem, caelesti gratia permoti, aliquando resipiscant. Id tamen nullo prorsus pacto, tum coram Deo tum coram orbe catholico, officio potest aut poterit Nos liberare exigendi ut — ad dignitatem Apostolicae Sedis tuendam itemque ad honorem et ius defendendum catholicorum qui sunt Reipublicae pars maxima — sponsio fidesque detur numquam in posterum rem huiusmodi iteratum iri. Ceterum, post imploratum Dei praesidium, non parum equidem pastorali industria vestra precibusque omnium confidimus. Qua spe laeti, vobis, venerabiles fratres, universoque clero ac populo unicuique vestrum concredito, in caelestium munerum auspicium, apostolicam benedictionem effuso animo impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XX mensis Februarii anno MDCCCCXXVII, Pontificatus Nostri sexto.

PIUS PP. XI

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Ssmus Dñus Noster Pius divina Providentia PP. XI, decretis Sacrae Congregationis Consistorialis, has quae sequuntur Ecclesias de proprio singulas Pastore providit, nimirum:

25 Februarii 1927. — Titulari episcopali Ecclesiae Dadymensi praefecit R. D. Ferdinandum Pawlikowski, Protonotarium Apostolicum *ad instar*, quem deputavit Auxiliarem R. P. D. Leopoldi Schuster, Episcopi Seccoviensis.

28 Februarii. — Titulari episcopali Ecclesiae Cisamensi, R. D. Ludovicum Budanović, Protonotarium Apostolicum *ad instar*, Administratorem Apostolicum territorii de Bačka.

3 Martii. — Titulari archiepiscopali Ecclesiae Chalcedonensi, R. P. Ioannem Bapt. della Pietra, e S. I., Delegatum Apostolicum in Albania.

4 Martii. — Cathedrali Ecclesiae Caesenatensi cum titulo Archiepiscopi, *ad personam*, R. P. D. Alfonsum Archi, hactenus Archiepiscopum tit. Darensem.

7 Martii. — Titulari Episcopali Ecclesiae Harpasensi, R. D. Paulum Gojdics, Ord. S. Basilii Magni, Administratorem Apostolicum dioecesis Eperiessensis ruthenorum.

14 Martii. — Cathedrali Ecclesiae Calatayeronensi, R. D. Ioannem Bargiggia, parochum ad B. M. V. de Sacratissimo Rosario, Mediolani.

18 Martii. — Titulari episcopali Ecclesiae Isauropolitanae, R. D. Stanislaum Baudry, e Societate Parisiensi Missionum ad exteros, Vicarium Apostolicum de Ningyuanfu.

25 Martii. — Cathedrali Ecclesiae Kildarensi et Leghlenensi, R. D. Matthaeum Cullen, parochum et vicarium foraneum in ipsa dioecesi.

— Titulari Episcopali Ecclesiae Dardaniensi, R. D. Stanislaum Rospond, Seminarii Cracoviensis Moderatorem, quem deputavit Auxiliarem R. P. D. Adami Sapicha, Archiepiscopi Cracoviensis.

29 Martii. — Cathedrali Ecclesiae Rottenbugensi, R. P. D. Ioannem Baptistam Sproll, hactenus Episcopum tit. Halmyrensem.

SACRA CONGREGATIO CONCILII

ROMANA ET ALIARUM

DUBIA

Quaesitum est ab hac Sacra Congregatione ut solverentur dubia quae sequuntur:

« I. Utrum Ordinario ius sit et officium interdicendi per praeceptum actionem politicam viris ecclesiasticis, qui in ea explicanda non se conformant instructionibus S. Sedis? »

Et quatenus *affirmative:*

« II. An qui praeceptum violaverint et moniti non se emendaverint, congrua poena puniri possint et debeant ad normam sacrorum canonum? »

Iamvero Emi Patres eiusdem Sacrae Congregationis, in plenariis comitiis die 26 Februarii huius anni habitis, responderunt:

Affirmative ad utrumque.

Porro SS. D. N. Pius divina Providentia PP. XI in audientia diei 15 Martii insequentis resolutionem Emorum Patrum dignatus est approbare et confirmare, eandemque publici iuris fieri mandavit.

D. Card. Sbarretti, *Praefectus.*

L. ✠ S.

† Iulius, Ep. tit. Lampsacen., *Secretarius.*

SACRA CONGREGATIO DE RELIGIOSIS

I

DUBIUM

DE CONSECRATIONE VIRGINUM PRO MULIERIBUS IN SAECULO VIVENTIBUS

Cum nonnulli locorum Antistites petiissent facultatem benedicendi et consecrationem Virginum conferendi foeminis absque votis religiosis in saeculo degentibus, iuxta ritum in Pontificali Romano descriptum, Sacra Congregatio de Religiosis, exquisito voto plurium Revmorum Consultorum rem definiendam Emis Patribus proposuit, qui, in plenario Coetu ad

Vaticanum habito die 25 Februarii 1927, re mature perpensa, dubio: « An expediat concedere facultatem dandi benedictionem et consecrationem Virginum mulieribus in saeculo viventibus » responderunt: « *Negative* et nihil innovetur ».

Facta autem relatione SSmo Domino Nostro Pio divina Providentia Papa XI, in audientia habita ab infrascripto Secretario, die 1 Martii eiusdem anni, Sanctitas Sua resolutionem Emorum Patruum approbare et confirmare dignata est, et publici iuris fieri mandavit.

Datum Romae, ex Secretaria Sacrae Congregationis de Religiosis, die 25 Martii 1927.

C. Card. Laurenti, *Praefectus.*

L. ✠ S.

Vinc. La Puma, *Secretarius.*

II

APPROBATIONES

SSmus Dnus Noster Pius divina Providentia PP. XI, decretis Sacrae Congregationis de Religiosis:

7 Februarii 1927. — Congregationem religiosam Sororum Nominis Iesu, sub Patrocinio Beatae Virginis Mariae, tit. Auxilium Christianorum, nuncupatam, cuius domus princeps sita est Varsaviae, *laudavit et commendavit.*

— Instituti Fratrum a Sacratissimo Corde Iesu nuncupati, *Constitutiones definitive approbavit.*

1 Martii. — Institutum Sororum a Sancto Ioanne Baptista, quae vulgo *Battistine* nuncupantur, cuius domus princeps sita est in Urbe, *approbavit, itemque eius Constitutiones, experimenti gratia, ad septennium.*

SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

NOMINATIO

Brevi Apostolico nominatus est:

11 Martii 1927. — *Vicarius Apostolicus nuper erecti vicariatus Canalis Suesii,* R. P. Columbanus Dreyer, Episcopus titularis Orthosiensis, hactenus Vicarius Apostolicus de Rabat.

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I

EISTETTEN.

CONFIRMATIONIS CULTUS AB IMMEMORABILI TEMPORE PRAESTITI SERVAE DEI STILLAE VIRGINI BEATAE NUNCUPATAE.

In civitate *Abenberg* prope Norimbergam, circa finem saeculi undecimi, e nobilissima gente Babonis oriunda lucem propriam accepit ex genere Comitum de Abenberg quasi stella matutina, Stilla, cuius Causa de cultu immemorabili Apostolica auctoritate confirmando agitur. Parentes eius de praeclara stirpe fuerunt, e qua prodierunt viri et mulieres, non solum dignitate civili et regia vel ecclesiastica et episcopali praestantes, sed eximia vitae sanctimonia adeo insignes, ut a Summis Pontificibus in Beatorum vel Sanctorum album solemni ritu relati sint. Stilla consanguinea Conradi I, archiepiscopi Salisburgensis perhibetur, qui anno 1147 pie in Domino defunctus est et nomen fert Beati. Stilla a pueritia ad morum bonitatem et christianam pietatem inclinata, iuxta maiorum exempla, futurae sanctitatis indubia ostendit indicia. Adolescentula vitam piam, castam et solitariam agens, in timore et amore Dei, omnigenis proficiebat virtutibus. Pro sua qua aestuabat caritate in Deum et proximum, in monte prope *Abenberg* posito, ecclesiam suis sumptibus aedificari iussit pro sua speciali devotione, sub titulo S. Petri Apostolorum Principis, illamque a fundamentis exstructam sacra supellectili et congrua dote ditari sategit. In monasterio *Mariaeburg* ecclesiae postea adiuncto, adhuc in praesens pretiosus calix a Dei Famula donatus piis peregrinis aliisque visitantibus monstratur. Ecclesia S. Petri Apostoli anno 1136 solemni ritu consecrata fuit a S. Ottone, Bambergensi Episcopo, et dedicationis anniversarium quotannis celebratur. Ad illam sacram aedem Stilla quotidie accedebat, ibique sacris adsistens et Sacramenta recipiens animum assidue intendebat in orationem et meditationem, potissimum de Passione et morte Domini. Dilecta Deo et hominibus haec Virgo singulari caritate ferebatur in pauperes, inopes, afflictos, praesertim infirmos. Quos omnes, veluti dulcissima mater, opportuno consilio et auxilio adiuvabat, tam in corpore quam in animo, errantes revocans a via perditionis eosque deducens in viam Domini

rectam et poenitentem, pios autem ac devotos exhortans verbo et exemplo ad maiorem virtutum progressum. Terrena despiciens et caelestia exoptans et quaerens, praehabito consilio Episcopi Ottonis propinqua cognatione cum ea coniuncti, perfectam ac perpetuam virginitatem in ecclesia S. Petri vovit, et ab eodem Antistite velum benedictum accepit. Sponso suo caelesti iugiter deserviens in paterna domo et intimo sacello, sicut in monasterio virginum, reliquos vitae annos sanctissime transegit. Sibi proposuerat monasterium erigere in quo per totum vitae decursum se posset recipere, sed hoc sanctum propositum exsequi nequivit, praematura morte praerepta. Demortuae Dei Famulae, anno circiter 1140-1150, quum eius fratres in monasterio *Heilsbronn* corpus piissimae sororis condi voluissent, illud, quibusvis modis elationis incassum adhibitis, immobile mansit, donec, Deo adiuvante, sacrae illae exuviae plaustro impositae, a duobus iumentis coniunctis, absque ullo homine moderante, in montem S. Petri deductae, ibique depositae in sepulcro praedictae ecclesiae S. Petri honorifice conditae sunt. Interim fama quam sibi comparaverat vivens, post obitum magis magisque percrebuit, affluente fideli plebe ad sepulcrum, ad altare, ad imagines eius, pro suis necessitatibus opem impetratura, subsequentibus gratiis et prodigiis, illius apud Deum intercessioni attributis. Unde cives et exteri Stillam tanquam Beatam et Sanctam nuncuparunt, et publico atque ecclesiastico cultu, non secus ac alios Beatos et sanctos, et quidem immemorabili, uti perhibent, coluerunt et colunt. Quapropter super huiusmodi cultu seu casu excepto a Decretis Urbanianis, in ecclesiastica curia Eistettensi Processus Informativus, auctoritate ordinaria anno 1893 institutus, die 22 Februarii anno 1897 absolutus fuit cum sententia Episcopi, qui iudicialibus conficiendis tabulis praefuit, et visis atque consideratis omnibus et singulis processualibus actis, documentis, monumentis et ceteris ad rem productis, declaravit atque edixit: « Constare de cultu publico et ecclesiastico ab immemorabili tempore praestito, idest ante annum millesimum quingentesimum trigesimum quartum, nunquam interrupto et ad hanc diem feliciter continuato, Servae Dei Stillae et propterea hanc causam versari inter casus exceptos a memoratis Urbani Papae VIII decretis ». Praedicto Processu ita expleto et ad Sacram Rituum Congregationem transmisso, ob varias gravesque rationes et vicissitudines haec nobilis Causa progredi non potuit ante recentiorem iuris ordinem super similibus Causis de cultu immemorabili seu casu excepto constitutum per decreta S. R. C. 11 Novembris 1912 et 31 Ianuarii 1913, per canones tit. XXV Cod. iur. can. confirmata. Instante tamen Rmo Episcopo Eistettensi una cum Postulatore, perpensisque circumstantiis in hac Causa existentibus, Benedictus Papae XV fel. rec. per decretum

S. R. C. diei 12 Ianuarii 1921 benigne dispensavit a novo iuris ordine; dummodo vetus ordo adamussim servetur. Hisce normis fideliter adhibitis, super cultu immemorabili seu casu excepto Servae Dei Stillae tota positio confecta est atque examini ac iudicio Sacrae Rituum Congregationis rite subiecta. Ad instantiam vero Rmi D. Aloisii Hudal, antistitis Urbani et Causae postulatoris, attentisque litteris postulatoriis Emi Cardinalis Michaelis de Faulhaber, Archiepiscopi Monacen. et Frisingen., nomine etiam omnium Episcoporum Bavariae, Excmi Archiepiscopi Sardicen. Eugenii Pacelli, Nuntii Apostolici in Germania et Rmorum Archiepiscopi Bambergen. et Episcopi Eistetten. cum suo Capitulo cathedrali, atque plurium Abbatum O. S. B., e Congregatione Bavarica, rogante quoque Excmo Carolo Philippo, principe de Wrede, Emus ac Rmus Dnus Cardinalis Andreas Frühwirth, Poenitentiarius Maior, et eiusdem Causae relator, in Ordinariis sacrorum rituum Congregationis comitiis subsignata die ad Vaticanas aedes coadunatis, sequens dubium discutiendum proposuit: « An sententia a Rmo Dno Episcopo Eistettensi lata super cultu, ab immemorabili tempore, praestito Servae Dei Stillae, seu super casu excepto a decretis sa. me. Urbani Papae VIII, sit confirmanda in casu et ad effectum, de quo agitur? » Atque Emi Patres sacris tuendis ritibus praepositi, post relationem ipsius Emi Ponentis, audito Fidei Promotore generali, omnibus accurate perpensis rescribendum censuerunt: « Affirmative seu confirmandam esse sententiam Episcopi Eistettensi ». Die 30 Novembris 1926.

Facta postmodum de his omnibus Sanctissimo Domino nostro Pio PP. XI per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatione, Sanctitas Sua Rescriptum eiusdem Sacrae Congregationis ratum habuit et probavit, die 12 Ianuarii 1927.

✠ A. Card. Vico, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. R. C. Praefectus.

L. ✠ S.

Angelus Mariani, *Secretarius.*

II

ALBANEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS SERVI DEI IOANNIS MERLINI SACERDOTIS MODERATORIS GENERALIS CONGREGATIONIS MISSIONARIORUM PRETIOSISSIMI SANGUINIS D. N. I. C.

Evangelii praeconibus et missionariis qui superiore saeculo nostras regiones, civitates et vicos, non humanae sapientiae verbis, sed sermone et virtute Dei, perlustrarunt, merito accensendus est Ioannes Merlini, sacerdos missionarius Congregationis a Pretioso Sanguine D. N. I. C. Haec sodalitas magis magisque florescens, in Domino gloriatur habuisse Beatum Gasparem del Bufalo missionarium, fundatorem et praepositum, eiusque immediatum successorem Blasium Valentini et tertium praesidem generalem ab anno 1847 usque ad annum obitus 1873 ipsum Ioannem Merlini, velut alterum institutorem, propagatorem et parentem. Spoleti in Umbria die 28 Augusti anno 1795 a probis honestisque coniugibus Aloisio et Antonia Arcangeli ortus, eademque die in ecclesia parochiali s. Ansani, commissa curae congregationis oratorii S. Philippi Neri, regeneratus est aquis lustralibus, indito nomine Ioanne. Unus ex tredecim filiis quos in sancto matrimonio susceperunt parentes et christiana institutione domi formarunt, Ioannes adhuc puer quum docilis et obediens esset, peculiarem curam et amorem sibi conciliavit. Pater enim, adscito domum pio et erudito clerico puerum humanis litteris bonisque moribus instruendum tradidit, deinceps autem ad publicam et litterariam scholam misit, in qua boni et probati magistri iuventutem spoletanam edocebant. Inter aequales excelluit studio, modestia et diligentia, aeque carus praeceptoribus et condiscipulis. Talis etiam habitus est ab Episcopo suo qui ad primam Communionem eum admisit, quique postea translatus ad sedem Anconitanam et sacra purpura decoratus, memor temporis acti et boni pueri olim sibi subditi, gratulatoria epistola pium doctumque sacerdotem Ioannem Merlini salutavit novum praesidem generalem Congregationis missionariorum a Pretiosissimo Sanguine D. N. I. C. – Ioannes iam adolescens, quum animum sentiret ad sacra propensum, parentibus suam vocationem ad sacerdotium aperuit, veniamque postulavit clericalem habitum induere. Haud faciles se praebuerunt parentes petitioni filii quia unicus erat superstes ex masculis, ipsumque sustinere et propagare familiam commune votum et communis aderat spes. Sed postea alium masculum pia genitrix in lucem edidit,

atque ita amoto praecipuo obstaculo, consensus optatus fuit obtentus. Voti compos effectus, clericorum habitum Ioannes induit et cum eo etiam spiritum ecclesiasticum. Etenim in superiore domus contignatione aptato sacello cum parvo altari, ibi cum suis orabat, festosque dies, convocatis optimis ex aequalibus, celebrabat, adhibita supellectili precario data a Patribus Oratorianis, quibus erat carissimus; siquidem in eorum templo sacris ritibus inserviebat, piisque congregationibus adscriptus, pueros et iuvenes, neophytus magister, fidei legisque catholicae rudimentis imbuebat. Haec agendi ratio exhibebat praeludium futuri progressus, quando Dei Famulus anno 1818 in eodem templo, adstantibus patribus Oratorii et multo populo, primum Sacrum devotissime litavit. Tunc sacrum confessionis et praedicationis ministerium agere coepit et perrexit in civitatibus et oppidis. An. 1820 de divina voluntate monitus et in socium adscitus a B. Gaspare de Bufalo, missionario et missionariorum institutore, Ioannes caelesti vocationi promptus et laetus adhaesit, et sub disciplina tanti magistri maxime profecit virtute, praedicatione et apostolico zelo, atque in posterum numquam ab eius latere discessit, alter socius, operarius et cultor vineae Domini, deinceps operum et operariorum dux et moderator. Approbantibus Summis Pontificibus missiones et missionarios in propria ditione et in tota Italia, ad nefarios secretarum societatum ausus infringendos et fidem catholicam morumque honestatem tuendam et augendam, Dei Famulus spatio fere quinquaginta annorum sacris expeditionibus amplissimum campum peragravit, omnibus omnia factus pro Christo, impenso studio, indefesso labore et ardenti caritate. Hoc illi donum caelitus concessum fuit, ut verbum Dei tanto eloquio et fervore praedicaret, praesertim in missionibus, ut audientes et populos ad salutarem commotionem, fletum ingentem et spiritualem profectum iugiter excitaret. Neque minori admiratione et laude dignus erat quando pueris et adultis catechesim traderet, pias congregationes a S. Francisco Xaverio et a S. Aloisio Gonzaga excoleret, et monialibus ac Sororibus, suisque aliisque religiosis conciones haberet. – Praepositus regimini domus Ianensis et paulo post collegii Albanensis, alumnis in spem congregationis instituendis, ac demum universae familiae missionariorum pretiosi Sanguinis Christi, in hisce muneribus se ostendit sapientem et prudentem simulque suavem et fortem moderatorem congregationis et sacerdotem Ecclesiae, in gloriam Dei et salutem animarum. – Alterum opus aggressus est Dei Famulus, quod iam conceperat et ad instar speciminis descriptum dederat Franciscus canonicus Albertini, Beati Gasparis confessarius qui tamen re infecta decessit. Agebatur de nova familia religiosa sororum instituenda. Consilium placuit Beato Gaspari, sed gravibus muneris et ministerii sui occupationibus distentus, totum negotium commisit perficiendum mis-

sionario Ioanni quem bene noverat ad rem idoneum et acceptum. Inter plures animas quae sub ductu Famuli Dei in via perfectionis ambulabant, commemoranda praecipue est Ven. Serva Dei Maria de Mattias, Vallecurtiae nata, fundatrix Instituti Sororum Pretiosi Sanguinis Christi, pro christiana puellarum institutione. Ista a florenti aetate Ioannem pietatis magistrum et patrem constanter habuit, qui eam, utpote spiritu timoris et amoris Dei repletam, iudicavit esse instrumentum satis aptum, auxiliante gratia Dei, ad excogitatum opus inchoandum et promovendum. Quare, divino lumine et auxilio implorato et praehabitis mutuis consiliis et colloquiis, ipse Mariam de Mattias in oppido *Acuto* Anagninae dioeceseos, tamquam in sede propria constituit, eique quasdam socias adiunxit honestas piasque puellas, peculiari habitu omnibus attributo, congruisque regulis praescriptis. Haec est prima domus Instituti Sororum Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C., a S. Sede rite recogniti et approbati, quod floruit et floret in hac alma Urbe, ubi plures adsunt scholae et ipsa domus princeps, ex munificentia Summorum Pontificum, atque in aliis Italiae locis exterisque regionibus Europae et Americae in quibus idem Institutum pueris puellisque educandis et instruendis aliisque caritatis et beneficentiae operibus addicitur ad catholicae religionis civilisque societatis bonum et incrementum. – Quamvis autem Ioannes munera sua diligenter impleret, tamen quum senesceret et vires debilitatas sentiret, ab officio Superioris generalis suae Congregationis se dimittere volebat; sed sodales et ipse praedictus Gasparis confessarius obstiterunt, quorum voluntati, tamquam indicio divini beneplaciti, Dei Famulus demisse obtemperavit. Memoria dignum est quod Ioannes Merlini cum sociis, benevolentia et auctoritate sa. me. Pii Papae XI, ab angusta Ss. Salvatoris in Campo aede in ampliorem S. Mariae in Trivio transiit aedem una cum ecclesia propriae Congregationi attributam; et quod idem Dei Famulus ipsum Pontificem ab Urbe profugum, ad scelestorum hominum insidias et malefacta cavenda, Caietam secutus ibi ab eodem Pontifice obtinuit extensionem ad Ecclesiam universalem Festi Pretiosissimi Sanguinis Christi, per S. R. C. decretum *Urbis et Orbis* die 10 augusti an. 1849. – Tandem Ioannes aetate et morbo depressus proximam mortem praesentiens, Sacramentis Ecclesiae susceptis et benedictione Summi Pontificis recreatus, suorum sodalium et sororum a Pretiosissimo Sanguine corona circumdatus, quibus ipse benedixit, piissimam animam exhalavit die decimasecunda Ianuarii anno 1873. Corpus biduo mansit expositum ut satisfieret pietati fidelium, tertio die exsequiis solemniter persolutis, adstante frequentissimo clero et populo, religiose delatum fuit ad Veranum, in hypogaeo Archisodalitatis Pretiosissimi Sanguinis ad S. Nicolai in Carcere Tulliano depositum, ibique in peculiari loculo exstructo beatam expectans resurrectionem, quiescit in

pace, apposita sepulcro nobili inscriptione. Interim fama sanctitatis vitae, virtutum et miraculorum in genere Servi Dei adeo increvit et viget, ut super ea in ecclesiastica curia Albanensi Processus informativus confectus sit et ad sacram rituum Congregationem, una cum altero Rogatoriali Spoletano in Albanensem compulsato, transmissus. Quum vero, servato iuris ordine, revisis et probatis scriptis eiusdem Famuli Dei, nihil obstet quominus in hac Causa procedi possit ad ulteriora, instante Rmo D. Iosepho Schaeper, Congregationis Pretiosissimi Sanguinis procuratore generali et huius Causae postulatore, utriusque Familiae presbyterorum et sororum quae ab ipso Pretioso Sangu ne nuncupatur, fervida vota depromente, attentisque litteris postulatoriis quorundam Emorum S. R. E. Cardinalium, Rmorum Archiepiscoporum et Episcoporum complurium, necnon Superiorum generalium Ordinum et Congregationum religiosarum, Emus ac Rmus Dnus Cardinalis Ianuarius Granito Pignatelli di Belmonte, Episcopus Albanensis et huius Causae Ponens seu Relator, in Ordinario sacrorum rituum Congregationis coetu, subsignata die ad Vaticanum coadunato, sequens dubium discutiendum proposuit: «An signanda sit Commissio Introductionis Causae, in casu et ad effectum de quo agitur?» Et Emi ac Rmi Patres sacris ritibus tuendis praepositi, post relationem ipsius Emi Ponentis, audito voce et scripto R. P. D. Carolo Salotti, Fidei Promotore generali, omnibus perpensis rescribere censuerunt: «Affirmative seu signandam esse Commissionem Introductionis Causae, si Sanctissimo placuerit». Die 25 Ianuarii 1927.

Facta postmodum de his omnibus Sanctissimo Domino nostro Pio Papae XI per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatione, Sanctitas Sua rescriptum eiusdem Sacrae Congregationis ratum habens, propria manu signare dignata est Commissionem introductionis Causae beatificationis et canonizationis Servi Dei Ioannis Merlini, moderatoris generalis Congregationis Missionariorum Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C. Die 26 eisdem mense et anno.

✠ A. Card. Vico, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. R. C. Praefectus.

L. ✠ S.

Angelus Mariani, *Secretarius.*

III

NEAPOLITANA

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS SERVI DEI MICHAELIS ANGELI LONGO A MARILIANO, SACERDOTIS PROFESSI ORDINIS FRATRUM MINORUM.

In oppido S. Nicolai prope Marilianum, Nolanae dioecesis, a parentibus, religione, nobilitate, fortunis bonisque praestantibus, Fulvio Longo e marchionibus de Vinchiotauro et Felicia e comitibus Gaetani e Messana, quintus e septem filiis et unus ex sex qui se Deo in religioso Instituto devoverunt, in lucem venit Servus Dei Michael Angelus Longo die 22 Septembris anno 1811. A teneris annis paterna in domo educatus et a selectis magistris instructus, quum alacri esset ingenio et bona indole simulque ad pietatis exercitia inclinatus, litteris et virtutibus suffultus uberes edidit fructus. Ad sacram synaxim bene dispositus et admissus Ssmae Eucharistiae sacramentum ferventi amore recepit; atque hanc devotionem, toto vitae tempore, fovere et augere non destitit. Genitoribus et praeceptoribus subditus et obediens pueritiam et adolescentiam transegit optimus filius et fidelis discipulus. Sedata insuper vivaci natura, orationis exercitio et solitudinis amore frequens, quotidie erat in oratorio publico suae Familiae, Mariliani. Hac agendi ratione ad vitam monasticam se parabat, quam sibi congruam et tutam aestimans, aliquando amplecti, Deo iuvante, excogitabat. Postea hanc mentem suam aperuit parentibus qui vocationi religiosae dilectissimi filii minime obstiterunt; pater tamen, attenta nobilis familiae conditione et corporis filii debilitate, admonuit ne nimis austeram et rigidam eligeret religionem ac regulam, uti Ordinem mendicantem Fratrum Minorum. Sed Michael patri respondit ad hunc ipsum Ordinem se sentire a Deo vocatum, ob professionem etiam paupertatis qua amovetur, pro aeterna vita, divitiarum periculum et impedimentum. Sic ipse imitaretur Iesum Christum qui, teste Paulo, propter nos egenus factus est cum esset dives, ut illius inopia nos divites essemus; eiusque Apostolos qui per os Petri eorum principis Christo dixerunt: « Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te: quid ergo erit nobis? », necnon Seraphicum Patrem Franciscum Fratribus et filiis suis exemplum praebentem et dicentem: « Deus meus et omnia ». Quapropter genitor monitum suum silentio revocavit et designatae vocationi filii simulque Dei voluntati libenter acquievit. Interim Michael sibi applicabat quae Iesus dixit iuveni principi et diviti in Evangelio: « Adhuc unum tibi deest; si vis perfectus esse vade, vende quae habes, et da pauperibus,

et habebis thesaurum in caelo: et veni, sequere me ». Itaque assensu parentum obtento, conventum Fratrum Minorum adiit, et Patris Provincialis nutu in bibliotheca exspectavit, donec vocaretur: sed ob varias occupationes ipsius Provincialis die ac nocte ibi mansit penitus oblitus et ieiunus. Die sequenti Superior in memoriam revocavit adolescentem relictum et patientem, et dolens se excusavit veniamque petiit, sed iuvenis pacatus et tranquillus respondit se non ab ipso sed a Deo, ita volente, fuisse probatum. Hic autem duodevigesimum annum agens, die undetrigesima Aprilis an. 1829 tyrocinium incoepit quem summa cum laude absolvit, specimen praebens religiosae perfectionis, observantiae regularum et summi amoris paupertatis et humilitatis, testificante tyronum magistro. In aetate viginti et unius annorum Superiorum et maiorum unanimi suffragio Fr. Michael ad solemnem trium votorum professionem admittitur. Studiis scientiarum et sacrarum litterarum intentus, ita excelluit, ut munus lectoris in Ordine ipsi committeretur. Sacris Ordinibus gradatim initiatus et sacerdotio auctus, Superiorum aestimatione ac fiducia gaudens, pluribus muneribus sibi commissis recte functus est. Provincia neapolitana quae S. Petri ad Aram nunc vocatur, per trium saeculorum spatium plures enumerat religiosos sanctitate, doctrina et apostolico zelo insignes, ex quibus recentiores exstant Venerabiles Servi Dei sacerdotes Franciscus a Neapoli et Ludovicus a Casaurea. Inter huius provinciae Definitores Dei Famulus cooptatus et paulo post Provincialis renuntiatus atque Commissarius Sororum a sacris stigmatibus, prudentia, scientia, pietate et caritate praefecit. Post ordinum regularium suppressionem, ad instaurandam tuendam et augendam disciplinam regularem missus, hoc munus optime peregit praesertim in coenobiis de *Lauro*, Nolanae dioeceseos, et de *Miano*, Neapolitanae archidioeceseos, ubi socium habuit validumque cooperatorem Ven. Ludovicum a Casaurea et cum ipso transivit ad conventum Palmae in quo remansit usque ad obitum. Dominicam Passionem, Ssmam Eucharistiam, Sacratissimum Cor Iesu aeque ac Deiparam Virginem sub titulis septem Dolorum et Immaculatae Conceptionis peculiari devotione prosecutus est, itemque Archangelum Michaelem, Patriarcham Ioseph, et Franciscum Assisiensem uti praecipuos Sanctos Patronos coluit. Apostolico zelo et evangelica doctrina insignis concionator et scriptor, atque caritate in Deum et proximum incensus in operibus suis unice gloriam Dei quaerens, Tertium Ordinem S. Francisci inter fideles strenue propagavit, Collegium Seraphicum pro iuvenibus aperuit tamquam viridarium, puellas praesertim orphanas collegit, et, subsidiis exquisita industria comparatis, instituendas tradidit sororibus sacrorum stigmatum, donec etiam dote, qualitate et virtute munitae, congruentem statum saecularem aut religiosum eligerent atque sumerent.

Tandem Dei Famulus Sanctae Matris Ecclesiae et Romani Pontificis Christi vices in terris gerentis, et seraphicae Familiae obsequentissimus et obedientissimus filius, qui nonnisi ex obedientia Superioris generalis sui ordinis voluit mori, semel iterumque paralysi progressiva correptus, loquelae usu amisso, mente tamen sana, sanctis Sacramentis refectus ac recreatus inter suos Superiores et confratres dilectissimos, e vita migravit in illo Palmae coenobio, die 10 Iulii anno 1886, in aetate septuaginta quinque annorum. Evulgato pretioso eius transitu exsequiisque populi frequentia et devotione honestatis, corpus die decima delatum est ad publicum coemeterium, elapsisque octodecim mensibus legitime desumatum et rite recognitum in ecclesiam S. Mariae ab Arcu, loci *Miano*, translatum fuit ibique ad latus dexterum altaris sacelli B. Mariae Virginis Immaculatae, sub humo in pace quiescit. Interim fama sanctitatis vitae et virtutum qua Fr. Michael vivens floruit post obitum etiam assertis signis seu prodigiis illustrata et diffusa usque in praesens ita inclaruit, ut communia vota utriusque cleri et populi religiosae provinciae Neapolitanae, Causae beatificationis et canonizationis Servi Dei initium et progressum petierint et obtinuerint, servato iuris ordine. Hinc in ecclesiastica curia Neapolitana, Ordinaria auctoritate confectus fuit Processus informativus super praedicta fama, dein transmissus ad sacram Rituum Congregationem. Haec vero scriptis Servi Dei collectis et revisis, decretum tulit approbationis sub die 28 Februarii 1893 cum clausula, ut in hac Causa ad ulteriora procedi possit. Quapropter, instante Rmo P. Antonio Maria Santarelli Ordinis Fratrum Minorum et Causae postulatore, attentisque litteris postulatoriis quorundam Emorum S. R. E. Cardinalium, plurium Rmorum Archiepiscoporum necnon Abbatum Ordinis S. Benedicti ac Superiorum generalium et provincialium Ordinum et Congregationum religiosarum atque Praesidum monialium et sororum Emus ac Rmus Dnus Cardinalis Ianuarius Granito Pignatelli di Belmonte, Episcopus Albanensis et eiusdem Causae Ponens seu Relator, in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis comitiis, subsignata die, ad Vaticanas aedes coactis, sequens dubium discutiendum proposuit: «An sit signanda Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur?» Et Emi ac Rmi Patres sacris tuendis ritibus praepositi, post relationem ipsius Emi Ponentis, audito voce et scripto R. P. D. Carolo Salotti, Fidei promotore generali, omnibus perpensis rescribendum censuerunt: «Affirmative seu signandam esse Commissionem introductionis Causae, si Sanctissimo placuerit». Die 25 Ianuarii 1927.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino nostro Pio Papae XI per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationis Praefectum relatis, Sanctitas Sua rescriptum eiusdem Sacri Consilii ratum habens, propria

manu signare dignata est Commissionem introductionis Causae beatificationis et canonizationis Servi Dei Michaelis Angeli Longo a Mariliano, sacerdotis professi Ordinis Fratrum Minorum. Die 26 Ianuarii 1927.

✠ A. Card. Vico, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. R. C. Praefectus.

L. ✠ S.

Angelus Mariani, *Secretarius.*

IV

TAURINEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VEN. SERVI DEI IOANNIS BOSCO, SACERDOTIS FUNDATORIS PIAE SOCIETATIS SALESIANAE ET INSTITUTI FILIARUM MARIAE AUXILIATRICIS.

SUPER DUBIO

« *An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate in Deum ac proximum; nec non de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine, Temperantia earumque adnexis in gradu heroico, in casu et ad effectum, de quo agitur?* »

Vix dictis assequi complectique quispiam posset, quantum de religione deque omni humanitate sit meritus, quantum catholicae Ecclesiae decus attulerit, quot et quam praeclara virtutum exempla et documenta posteritati reliquerit Ven. Servus Dei Ioannes Bosco, qui dignum se ministrum ac imitatorem ostendit eius, qui de se ipso aiebat: *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur?* (Luc., XII, 49). Siquis vero opum inopiam, qua Ven. Dei Famulus assidue premebatur, et contrarietates quas iugiter est passus, cum amplitudine rerum ab eo gestarum et beneficiis humano generi illatis conferat, non sacerdotem modo admirabitur apostolico zelo aestuantem, sed missum a Deo ut iuvenilis praesertim aetatis necessitatibus consultum foret, sibique illud in mentem revocare sentiet, quod Praeceptoris divini ore fuit prolatum: *Simile est regnum caelorum grano sinapis... quod minimum quidem est omnibus seminibus, quum autem creverit maius est omnibus oleribus, et fit arbor, ita ut volucres caeli veniant, et habitent in ramis eius* (Matth., XIII, 31, 32).

In vico Murialdo, apud Castrumnovum in Astensibus, ortus est Ioannes Bosco, parentesque sortitus non divitiis, sed morum probitate praestantes,

qui agrestibus incumbebant operibus. Nondum infantiam egressus patre est orbatus, sed a matre superstite christianae institutionis rudimentis sedulo est imbutus. In ipsis vitae primordiis et puerilibus annis ad grandia et mirabilia gerenda comparatus a natura videbatur; tot namque peculiaribus animi et corporis donis exornatus apparebat, ut in utram partem deflexisset, magnum aliquid et insigne se acturum haud obscure portenderet. Dum prima vernabat aetas, huius florem divinae gloriae plane devovendi desiderium experiri coepit; sed opes deerant, ut necessariis studiis operam navare posset. Acri ingenio facilique memoria praeditus quum esset, facile sibi beneficentissimos conciliavit viros, qui ad scholas celebrandas ei aditum aperuere. Laudabiliter omnes gymnasii classes emensus, Seminarium episcopale Cherii est ingressus, in quo philosophicis ac theologicis disciplinis sedulam impendit operam. Tum dignus est inventus qui sacris Ordinibus initiaretur; atque vix sacerdotio est auctus, nulla interposita mora, ad curionis partes obeundas missus fuit; quas tanta alacritate tantoque zeli ardore suscepit, ut brevi fructuum copiam colligerit. Sed eius animus apprime angebatur ob puerorum paene neglectam, iis temporibus, christianam educationem; tantaeque necessitati occurrendi percupidus, praecipuas curas suas assiduosque labores ad illud puerorum genus in primis convertit, qui quovis praeceptore destituti erant, eosque fovere, erudire ac tueri omni ope contendit. Ne autem iuventuti umquam recta et opportuna deesset institutio, optimum esse duxit, religiosam Familiam condere, quae rei curandae tota addicta foret.

Quod mente conceperat, religiose absque cunctatione praestandum censuit, omniaque talenta a Deo sibi credita in sublime huiusmodi opus, ad gloriam divini nominis et pro animarum salute, impendenda statuit. Singulare sane religionis et pietatis opus, ex quo uno satis ingenium sacerdotis eximii et vitae eiusdem sanctimonia deprehenditur! Hoc enim opus immanes labores, incommoda, itinera, vitam denique exhibet operosam et arduam. Quamvis praesidia idonea deficerent, quamvis rerum inopia urgeret nascentem, quamvis multae difficultates et contradictiones undequaque excitarentur, nihilominus Ven. Dei Famulus praestare omne potuit, aliorum implorata ope, quod necessitas postulabat. Tot gravatus sumptibus numquam despondit animo: sine multarum rerum copia servari coacta pia Societas propagarique non poterat. Atqui saepissime haec copia deerat! Quid ille? Necessitates ac indigentias suae Societatis iis referebat ingenue, qui opibus pollebant, ut eorumdem liberalitatem experiretur, quin tamen ipsorum voluntatem minus liberam importunis postulationibus effecisset umquam.

Instrumenta et subsidia omnia ad praeceptorem optimum fingendum

sive a natura profecta, sive ab industria comparata in Ven. Dei Famulum mirifice confluebant. Blando pueros et alumnos mulcebat alloquio, paterna eosdem benevolentia excipiebat, amoenis sermonibus recreabat, ad virtutem et pietatem probe exercebat. Tamquam amantissimum parentem, qui pari amore unumquemque complectitur, qui aequum singulis studium adhibet, qui singulos ad se allicit, singulos dilectionis vinculo sibi mancipabat. Omnia in eo erant suavissima, nec pravae cupiditates in ipso videbantur ullas radices egisse. Scatebat ignota quaedam et divina vis ex illius verbis, quae mentis tenebras dissipabat, corda movebat et ad evangelica praecepta sectanda alliciebat. Scripta quoque plura exaravit vulgavitque ad mentes erudiendas et animos pie incendendos. Ita se dignum Dei sacerdotem exhibebat Vir Venerabilis, cuius labia custodiebant scientiam, ut ignaros edoceret tepidosque excitaret. Nullam temporis partem ab hoc sanctissimo negotio dilatandae ac perficiendae a se conditae Familiae vacuam habuit, eique addere sategit piam alteram Societatem, quam Filiarum Mariae Auxiliatricis nuncupavit, ad puellarum curam gerendam institutam. Utramque Sancto Francisco Salesio, quem sibi in Patronum elegerat, et peculiari studio prosequebatur, commendatam voluit.

Pro utriusque vero firmitate ac diffusione nedum labores multos exantlavit, sed et ardua quaeque alacriter est aggressus, et molesta plura patienti animo toleravit exinde profecta, unde validum ipse sperare poterat praesidium. Mentem quoque viresque suas in id insuper intendit, ut indoctae et incultae gentes dissitissimas ac ferme inhospitales orbis plagas incolentes eorumdem beneficiorum participes fierent. Ea sapientia, *quae attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter* (Sap., VIII, 1), cuncta opera utpote quae non ad lucrum vel humanam laudem captandam, sed ad divini nominis gloriam et pro animarum salute, ab eodem suscepta fuerant, prospero exitu cumulavit, obstupescentibus omnibus etiam qui operantis virtutem dissimulare vel deprimere gestiebant. Ita sacerdotis Ioannis Bosco nomen tantam adeptum est celebritatem, ut nulla fere exstet orbis terrarum pars, ubi notum sacrumque non sit.

Post eius vero beatum obitum, qui obtigit labente Ianuario mense anni millesimi octingentesimi octogesimi octavi, qui ab eiusdem ortu septuagesimus tertius erat, praeclarior enituit tanti viri sanctitatis fama et communis populorum opinio; quo factum ut, triennio vix elapso, de Caelitum honoribus eidem comparandis studiosissime cogitatum fuerit. Quapropter in ecclesiastica curia Taurinensi de eius vita et rebus ab ipso gestis iudiciales inquisitiones sedulo, ad iuris tramitem, exactae sunt; rite dein absolutis singulis iudiciis, quae nostrae leges praemitti districte iubent, formale de eiusdem virtutibus est initum examen, quod quadruplici actione pera-

ctum est, laudabili amussim servata severitate, quae hisce gravissimis iudiciis potiorem fidem et auctoritatem conciliat.

Antepraeparatoria itaque Congregatio coacta fuit die postrema mensis Iunii anni millesimi nongentesimi vicesimi quinti in aedibus Reverendissimi Cardinalis Antonii Vico, causae Relatoris, quam duae secutae sunt Praeparatoriae, in quibus potissimum de singulis diversisque disceptatorum sententiis accuratissime habita est ratio. Demum octava die vertentis mensis Februarii, universus sacrorum Rituum coetus congregatus est coram Sanctissimo Domino nostro Pio Papa XI, atque memoratus Reverendissimus Cardinalis sequens Dubium discutiendum proposuit: *An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate in Deum ac proximum, nec non de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine et Temperantia earumque adnexis, in gradu heroico, Venerabilis Servi Dei Ioannis Bosco, in casu et ad effectum, de quo agitur?* Atque omnes qui interfuere tum Reverendissimi Cardinales, tum Patres Consultores, unanimi suffragatione responderunt; quam Beatissimus Pater laeto animo excepit, decretoriam tamen proferre sententiam distulit, cohortatusque est adstantes, ut in re tanti ponderis fervidas preces adiicerent ad caelestis luminis ampliorem opem impetrandam.

Quum vero mentem suam pandere statuisset, hodiernam selegit diem, Dominicam in Sexagesima. Quapropter, Eucharistica Hostia litata, ad se accivit Reverendissimum Cardinalem Antonium Vico, Episcopum Portuensem et Sanctae Rufinae, sacrorum Rituum Congregationi Praefectum Causaeque Ponentem, una cum R. P. Carolo Salotti, sanctae Fidei Promotore generali, meque infrascripto a secretis, iisque adstantibus, Pontificio solio assidens, solemniter sanxit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate in Deum ac proximum, nec non de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine et Temperantia earumque adnexis Ven. Servi Dei Ioannis Bosco, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc insuper Decretum in vulgus edi et in acta sacrorum Rituum Congregationis referri iussit, decimo calendas Martias, anno millesimo nongentesimo vicesimo septimo.

✠ A. Card. Vico, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. R. C. Praefectus.

L. ✠ S.

Angelus Mariani, *Secretarius.*

V

ELOGIA MARTYROLOGIO ROMANO ADIICIENDA

Die 25 Maji (antepænultimo loco)

Lutétiæ Parisiórum, sanctæ Magdalénæ Sophíæ Barat, Vírginis, fundatrícis Sorórum a Sacro Corde Jesu, quæ pro christiána puellárum informatióne valde adlaborávit, a Pio Papa Undécimo in sanctárum vírginum catálogum fuit reláta.

Die 16 Julii (pænultimo loco)

Apud Abbatíam Sanctíssimi Salvatóris e diœcési Constantiénsi, in Gállia, sanctæ Maríæ Magdalénæ Postel, Vírginis, fundatrícis Instituti Sorórum Scholárum Christianárum a Misericórdia, a Pio Papa Undécimo in sanctárum album relátæ.

Die 4 Augusti (pænultimo loco)

In vico Ars, diœcésis Belliciénsis, in Gállia, sancti Joánnis Baptístæ Maríæ Vianney, Confessóris, qui in parochiáli múnere obeúndo éxstitit insígnis.

Die 19 Augusti (antepænultimo loco)

Cadomi, diœcésis Baiocénsis, in Gállia, sancti Joánnis Eudes, Confessóris, Missionárii Apostólici, fundatóris Congregatiónis Presbyterórum Jesu et Maríæ necnon Ordinis Sorórum Dóminæ Nostræ a Caritáte et promotóris litúrgici cultus erga éadem Sacra Corda, quem Pius Papa Undécimus fastis sanctórum adscrípsit.

Die 19 Augusti (ultimo loco)

Norimbérgæ, Sancti Sebáldi, Confessóris, qui virtútibus et méritis cumulátus, obdormívit in Dómino.

Die 30 Septembris (pænultimo loco)

Lexóvii, in Gállia, Sanctæ Terésiæ a Jesu Infánte, ex Ordine Carmelitárum Excalceatórum, quam vitæ innocéntia et simplicitáte claríssimam, Pius Undécimus Póntifex Máximus sanctárum Vírginum albo adscrípsit.

Die 3 Octobris (ultimo loco)

Sanctæ Terésiæ a Jesu Infánte, Vírginis, Ordinis Carmelitárum Excalceatórum, de qua prídie Kaléndas Octóbris.

Sanctissimus Dominus noster Pius Papa XI, referente infrascripto Cardinali Sacrae Rituum Congregationi Praefecto, suprascripta elogia in Martyrologio Romano de iisdem singulis Caelitibus respectivis diebus inserenda, ab eadem Sacra Congregatione revisa et disposita, approbavit. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 26 Ianuarii 1927.

✠ A. Card. Vico, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. R. C. Praefectus.

L. ✠ S.

Angelus Mariani, *Secretarius.*

VI

CONIMBRICEN.

DUBIA

CIRCA FESTUM SACRATISSIMI CORDIS IESU IN LUSITANIA

Hodiernus Ecclesiae Cathedralis Conimbricen. Archidiaconus, cum consensu sui Revmi Episcopi, Sacrae Rituum Congregationi humillime exposuit quae sequuntur:

Summus Pontifex Pius Papa VI die 31 Maii 1772 per Sacram Rituum Congregationem indulsit, ut Festum Sacratissimi Cordis Iesu in toto Lusitaniae regno celebretur sub ritu duplici I classis sine Octava, etiamsi occurrat Festum S. Antonii Lusitani Confessoris, Patroni principalis; die vero 5 Augusti eiusdem anni Sanctitas Sua per ipsam Congregationem ex speciali gratia concessit, ut praedictum Festum Sacratissimi Cordis Iesu in omnibus regnis, civitatibus et locis Regibus Lusitaniae subiectis, celebretur in posterum sub ritu primae classis sine octava, proindeque non omittatur, etiamsi eadem die aliud ex solemnioribus Festis occurrat.

Hinc quaeritur:

I. An Festum Sacratissimi Cordis Iesu, quod, attento speciali privilegio, in Lusitania est per accidens primarium (S. R. C. 10 Maii 1895, n. 3855 ad V), ibidem tam in occurrentia quam in concurrentia cedere debeat festis duplicibus I classis primariis universalis Ecclesiae, ex. gr. festo Nativitatis S. Ioannis Baptistae, iuxta novas Breviarii Romani Rubricas, tit. 11, n. 1?

II. An idem Festum Sacratissimi Cordis Iesu in Lusitania tam in occurrentia quam in concurrentia praeferendum sit cuilibet Festo particulari, ex. gr. festo principalis Patroni loci?

Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, omnibus perpensis rescribendum censuit: « Affirmative ad utrumque » atque ita rescripsit ac declaravit. Die 18 Februarii 1927.

✠ A. Card. Vico, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. R. C. Praefectus.

L. ✠ S.

Angelus Mariani, *Secretarius.*

VII

ZAGRABIEN. et ALIARUM

Quum nova editio Missalis Romano-Slavonici characteribus latinis impressa, studio et cura Revmi D. Iosephi Vajs delegati ab Episcopatu Jugoslaviae, probante Sede Apostolica, completa sit et, revisione rite peracta tum ab Illmo et Revmo D. Antonio Bauer, Archiepiscopo Zagrabiensi, de mandato ceterorum Episcoporum Regni S. H. S., tum a Revmo D. Fr. Hieronymo Mileta, Episcopo Sebenicensi, Sacrae Rituum Congregationis Consultore, eorumque iudicio nihil obstet quominus Apostolicae Sedis approbationi subiiciatur, idem Archiepiscopus Zagrabiensis ceterique Episcopi Jugoslaviae, Sanctissimum Dominum nostrum Pium Papam XI supplicibus votis deprecati sunt, ut novam hanc editionem Missalis Romano-Slavonici characteribus latinis concinnatam approbare dignaretur. Sanctitas porro Sua his precibus ab infrascripto Domino Cardinali Sacrae Congregationi Rituum Praefecto relatis benigne annuens, praedictam editionem Missalis Romano-Slavonici characteribus latinis exornatam approbavit et universo Clero lingua slavonica rite utenti libenter indulsit: servatis rubricis.

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 9 Martii 1927.

✠ A. Card. Vico, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. R. C. Praefectus.

L. ✠ S.

Angelus Mariani, *Secretarius.*

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA POENITENTIARIA APOSTOLICA

I

DUBIA

Ab Episcopo N. N. propositae sunt Sanctae Sedi pro opportuna solutione sequentes quaestiones:

« Quelle attitude prendre au for interne et au for externe vis-à-vis d'ecclésiastiques:

1) qui notoirement demeurent partisans, ou ligueurs, ou lecteurs (par abonnement) de l'*Action Française*?

2) qui encouragent par des consultations théologiques ou simplement en paroles, dans la conversation, les fidèles à lire l'*Action Française* ou à la soutenir par des offrandes d'argent?

3) qui absolvent sans condition de bon propos et continuent d'absoudre des lecteurs d'*Action Française* ou des chefs ligueurs d'Action Française? »

« II. — Quelle conduite l'Evêque ou les Supérieurs de Séminaires devront-ils avoir vis-à-vis des Séminaristes demeurant attachés à l'Action Française ostensiblement ou en secret? »

« III. — Quelle conduite tenir au for interne et au for externe vis-à-vis des fidèles:

1) qui lisent habituellement l'*Action Française*, ou y restent abonnés malgré les avis contraires qu'ils reçoivent?

2) qui, en tant que ligueurs, mènent le mouvement en faveur du journal l'*Action Française*, des doctrines fausses d'Action Française ou en faveur des dirigeants d'Action Française, qu'ils s'obstinent à conserver pour leurs chefs?

3) qui continuent de subventionner avec ostentation ou en secret l'*A. F.*? »

« IV. — 1) Ces lecteurs, ligueurs, propagandistes d'A. F., s'ils sont notoirement connus comme tels, peuvent-ils être admis aux Sacrements, particulièrement à la Sainte Table?

2) Les mêmes peuvent-ils être admis, ou tolérés, dans nos groupements catholiques: tels les groupements de la Fédération Nationale Catholique (Castelnau), de la Jeunesse Catholique, des Scouts catholiques? »

Sacra Poenitentiaria Apostolica, de mandato SSmi Dñi Nostri Pii Papae XI, mature perpensis quaestionibus a praefato Episcopo propositis, respondet uti sequitur:

Ad primum quaesitum

Pro foro interno. — Monendi omnes graviter tanquam certis ac manifestis Supremae Auctoritatis Ecclesiasticae in re gravi mandatis ac praescriptionibus (non interest occulte ne an publice) renitentes; neque absolvendi nisi si et postquam serio resipuerint et scandalum congrue reparaverint.

Pro foro externo. — Admonendi, ut supra, et corripiendi, ad tramitem canonum 2308 et 2309; et si quidem monitiones et correptiones incassum cesserint, procedendum ad tramitem canonis 2310. Confessarii vero, de quibus n. 3, si moniti non se emendaverint et scandalum poenitenti datum pro posse non reparaverint, suspendi poterunt, donec in propria contumacia perseverent, a sacramentalibus fidelium confessionibus audiendis.

Ad secundum quaesitum

Si moniti non se emendaverint et scandalum, ad Superiorum praescriptum, congrue non reparaverint:

In foro interno: non absolvantur;

In foro externo: ad tramitem canonis 1371, dimittantur tanquam dyscoli et statui ecclesiastico non idonei.

Ad tertium quaesitum

Si moniti de gravitate inobedientiae certis ac manifestis Supremae Auctoritatis Ecclesiasticae in re gravi mandatis ac praescriptionibus subiectionem detrectaverint et scandalum congrue reparare non curaverint;

In foro interno: non absolvantur.

In foro externo: habeantur ut publici peccatores et tanquam tales ab iis omnibus arceantur a quibus huiusmodi peccatores per sacros canones arcentur.

Ad quartum quaesitum

Ad I. — *Negative,* uti consequens responsionis supra datae.

Ad II. — Nisi antea omnino ac publice se subiecerint ac suae subiectionis sinceritatem serietatemque certis, iudicio Ordinarii, argumentis

ostenderint et efficaciter, ipsius Ordinarii iudicio, scandalum reparaverint, *Negative.*

Episcopus autem prae oculis habeat praescriptum can. 2214 § 2.

Datum Romae, ex Sacra Poenitentiaria, die 8 Martii 1927.

Fr. Andreas Card. Frühwirth, *Poenit Maior.*

L. ✠ S.

I. Teodori, *S. P. Secretarius.*

II

(officium de indulgentiis)

ACTUS SOLLEMNIS DEDICATIONIS HUMANI GENERIS IN FESTO D. N. IESU CHRISTI REGIS INDULGENTIIS DITATUR.

Pius PP. X, f. r., die 22 Augusti 1906, decrevit ut die festo SSmi Cordis Iesu in ecclesiis paroecialibus, itemque in iis ubi idem festum peculiariter celebraretur, annua renovatio dedicationis humani generis SSmo Cordi Iesu sollemniter perageretur, idest cum recitatione formulae consecrationis et litaniarum eiusdem SSmi Cordis coram augusto Sacramento publicae adorationi exposito, et pro eadem sollemni dedicatione benigne concessit Indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum christifidelibus, qui, saltem contrito corde, piae caeremoniae interessent et ad mentem Summi Pontificis orarent; plenariam vero iis, qui praeterea confessi ad sacram Mensam accederent. Cum autem, ex Litteris Encyclicis *Quas primas*, Ssmi D. N. Pii PP. XI, sollemnis eiusmodi dedicatio quotannis renovanda sit die festo D. N. Iesu Christi Regis, in Audientia die 4 Februarii 1927 infrascripto Cardinali Poenitentiario Maiori data, placuit eidem Ssmo D. N. decernere, praefatas Indulgentias, a s. m. decessore suo Pio X concessas, eodem die festo acquiri haud aliter quam die festo Ssmi Cordis Iesu, in quo dedicatio adhuc fieri potest ad libitum iuxta Rescriptum Sacrae Rituum Congregationis diei 28 Aprilis 1926, ea tamen lege, ut adhibeatur, in utroque casu, formula ab eadem Sacra Congregatione die 17 Octobris 1925 vulgata. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, in aedibus S. Poenitentiariae, die 15 Februarii 1927.

Fr. Andreas Card. Frühwirth, *Poen. Maior.*

L. ✠ S.

I. Teodori, *S. P. Secretarius.*

ACTA OFFICIORUM

COMMISSIO PONTIFICIA DE RE BIBLICA

DE LAUREA IN THEOLOGIA AD GRADUS ACADEMICOS IN SACRA SCRIPTURA OBTINENDOS REQUISITA.

Ut nonnullis occurratur dubiis quae passim exorta sunt de interpretandis documentis pontificiis, quibus laurea in theologia omnibus ad gradus academicos in Sacra Scriptura contendentibus praescribitur, Eminentissimi DD. Cardinales Rei Biblicae praepositi hanc declarationem edendam censuerunt.

Ad gradus academicos in Sacra Scriptura contendere ii soli possunt:

1. qui, expleto biennio philosophico, in aliqua Universitate aut Athenaeo a Sancta Sede adprobato cursum theologicum ad normam can. 1365 vel 589 regulariter peregerunt et ibidem lauream in sacra theologia legitime adepti sunt;

2. vel qui, studiis iuxta praescriptiones iuris peractis in Instituto cui non est facultas apostolica concedendi lauream, per duos saltem annos in aliqua Universitate aut Athenaeo a Sancta Sede adprobato studia theologica prosecuti, doctores in sacra theologia ibidem renuntiati sunt;

3. vel Religiosi qui, studiis iuxta praescriptiones iuris peractis, in proprio Instituto adepti sunt titulum qui ipsis, ex facultate a Sancta Sede Religioni facta, ad instar laureae in sacra theologia legitime collatus est.

Die autem 26 Februarii 1927, in audientia infrascripto Reverendissimo Consultori ab Actis benigne concessa, SSmus Dominus Noster Pius Papa XI praedictam declarationem ratam habuit ac publici iuris fieri mandavit.

Ioannes Baptista Frey, C. S. Sp.
Consultor ab Actis.

L. ✠ S.

PONTIFICIA COMMISSIO
AD CODICIS CANONES AUTHENTICE INTERPRETANDOS

RESPONSA AD PROPOSITA DUBIA

Emi Patres Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos, propositis in plenario coetu quae sequuntur dubiis, responderi mandarunt ut infra ad singula:

I. – *De confraternitatibus Ssmi Sacramenti*

D. I. – Utrum vi canonis 711 § 2 locorum Ordinarii stricte teneantur erigere in qualibet paroecia confraternitatem SS. Sacramenti, an eius loco possint, secundum peculiaria adiuncta, instituere piam unionem vel sodalitatem SS. Sacramenti.

II. – Utrum archiconfraternitati Ssmi Sacramenti in Urbe erectae, de qua in canone 711 § 2, *ipso iure* aggregatae sint tantum confraternitates Ssmo Sacramenti proprie dictae, an etiam piae uniones aliaeque sodalitates Ssmo Sacramenti.

R. Ad I. – Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad II. – Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

II. – *De indice funeralium taxarum*

D. – An Religiosi, etiam exempti, subsint indici funeralium taxarum, de quo in canone 1234.

R. – Affirmative.

III. – *De publica expositione Ssmi Sacramenti*

D. – An sub nomine *Expositionis publicae*, de qua in canone 1274 § 1, veniat etiam *Benedictio eucharistica* quae, palam exposito Ssmo Sacramento in ostensorio, impertiri solet.

R. – Affirmative.

Romae, die 6 mensis Martii 1927.

P. Card. GASPARRI, *Praeses.*

L. ✠ S.

Ioseph Bruno, *Secretarius.*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

SACRA CONGREGAZIONE DEI RITI

Martedì, 8 Marzo 1927, nel Palazzo Apostolico Vaticano, con l'intervento degli Emi e Rmi Signori Cardinali e col voto dei Rmi Prelati Officiali e dei Consultori teologi, componenti la Sacra Congregazione dei Riti, si è tenuta la Congregazione *Preparatoria* per discutere il dubbio sopra l'eroismo delle virtù esercitate dalla Ven. Serva di Dio Elisabetta Canori-Mora, Madre di Famiglia, Romana, del Terzo Ordine della SSma Trinità degli Scalzi.

Martedì, 15 Marzo 1927, presso l'Emo e Rmo Signor Cardinale Camillo Laurenti, Ponente della Causa di Beatificazione e Canonizzazione della Ven. Serva di Dio Giovanna Elisabetta Bichier des Ages, Confondatrice dell'Istituto delle Figlie della Croce, dette Suore di S. Andrea, si è tenuta la Congregazione dei Sacri Riti *Antipreparatoria*, nella quale dai Rmi Prelati Officiali e dai Consultori teologi della medesima, si è discusso il dubbio sopra l'eroismo delle virtù esercitate dalla stessa Ven. Serva di Dio.

Martedì, 22 Marzo 1927, nel Palazzo Apostolico Vaticano si è tenuta la Congregazione dei Sacri Riti *Particolare*, nella quale gli Emi Signori Cardinali nonchè i Rmi Prelati Officiali componenti la medesima, hanno discusso e dato il loro voto sopra le seguenti materie:

1. Intorno alla validità dei Processi Apostolici costruiti sopra i miracoli per la Causa di beatificazione e canonizzazione del Ven. Servo di Dio Giovanni Bosco, Sacerdote Fondatore della Pia Società di S. Francesco di Sales e dell'Istituto delle Figlie di Maria Ausiliatrice.

2. Intorno alla validità dei Processi costruiti nelle Curie Vescovili di Tropea e Nocera dei Pagani nella Causa di beatificazione e canonizzazione del Ven. Servo di Dio Vito Michele di Netta, Sacerdote professo della Congregazione del Santissimo Redentore.

3. Intorno alla validità del Processo Apostolico costruito per la causa di canonizzazione del Beato Teofilo da Corte, Sacerdote professo dell'Ordine dei Minori.

4. Intorno alla validità del Processo Apostolico costruito nella Curia Vescovile di Genova sopra i miracoli per la Causa di beatificazione e canonizzazione del Ven. Servo di Dio Francesco da Camporosso, Laico professo dell'Ordine dei Minori Cappuccini.

5. Intorno alla validità dei Processi costruiti per la Causa di beatificazione e canonizzazione del Servo di Dio Contardo Ferrini, Laico, Professore dell'Università di Pavia.

6. Intorno alla validità dei Processi costruiti nella Curia Arcivescovile di Napoli per la Causa di beatificazione e canonizzazione della Ven. Serva di Dio Maria Giuliana del SSmo Sacramento, del Terz'Ordine dei Servi di Maria Addolorata, Superiora del Monastero delle Mantellate di S. Agostino.

7. Intorno al Culto, in ossequio ai Decreti di Urbano VIII, non mai prestato al Servo di Dio Andrea Beltrami, Sacerdote della Pia Società di S. Francesco di Sales.

8. E finalmente intorno al Culto, come sopra, non mai prestato alla Ven. Serva di Dio Suor Maria di Gesù, al secolo Giuseppa Du Bourg, Fondatrice della Congregazione delle Suore dette del Divino Salvatore e della SSma Vergine.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Pio XI, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

14 Febbraio 1927. L'Emo Sig. Cardinale Luigi Sincero, Segretario della Sacra Congregazione per la Chiesa Orientale, *Membro della Sacra Congregazione degli Affari Ecclesiastici Straordinari.*

16 » » Monsig. Pietro Pisani, Arcivescovo tit. di Costanza di Scizia, *Consultore della Sacra Congregazione di Propaganda Fide.*

18 » » Il Rmo P. Leone del Sacro Cuor di Gesù, Preposito generale dei Passionisti, *Consultore della Sacra Congregazione di Propaganda Fide.*

11 Marzo » Monsig. Nicola Giannattasio, Arcivescovo tit. di Pessinonte; i Rmi: P. Stanislao dell'Addolorata, Consultore generale dei Padri Passionisti; P. Guglielmo Jazzetta, dei Carmelitani; P. Balduino Bedini, della Congregazione Cistercense Italiana; P. Giuseppe Hickey, Assistente generale dell'Ordine Eremitano di Sant'Agostino; P. Bertrando Kurtscheid, O. F. M; P. Timoteo da Hechingen, Cappuccino; D. Gerardo Oesterle, O. S. B.; P. Antonio Bolognini, dei Minori Conventuali, *Consultori della Sacra Congregazione dei Sacramenti.*

10 Marzo 1927. L'Emo Sig. Cardinale Bonaventura Cerretti, *Membro della Sacra Congregazione dei Riti.*

15 » » Gli Emi Signori Cardinali Bonaventura Cerretti e Luigi Capotosti, *Membri della Sacra Congregazione per la Chiesa Orientale.*

16 » » Il Rmo P. Pancrazio Kandjuk, dei Monaci Basiliani ruteni, *Consultore della Sacra Congregazione per la Chiesa Orientale.*

Con Brevi Apostolici, il Santo Padre Pio XI, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

20 Dicembre 1926. L'Emo Sig. Cardinale Bonaventura Cerretti, *Protettore dell'Istituto delle Suore Angeliche* (Arienzo: Caserta).

22 Febbraio 1927. Monsig. Romolo Pantanetti, *Cappellano Comune Pontificio soprannumerario.*

23 » » Monsig. Antonino Lo Casto, *Cappellano Comune Pontificio soprannumerario.*

24 » » Monsig. Cesare Fabrizi, *Cappellano Comune Pontificio soprannumerario.*

9 Marzo » Monsig. Giovanni Battista Della Pietra, S. I., Arcivescovo tit. di Calcedonia, *Delegato Apostolico dell'Albania.*

10 » » Monsig. Lorenzo Schioppa, Arcivescovo tit. di Giustinianopoli, *Primo Internunzio Apostolico di Lituania.*

21 » » Revmo D. Salvatore Natucci, *Assessore della Sacra Congregazione dei Riti e Sottopromotore della Fede.*

Assistenti al Soglio Pontificio:

18 Giugno 1926. Monsig. Enrico Giuseppe O'Leary, Arcivescovo di Edmonton.

23 Febbraio 1927. Monsig. Giovanni Giuseppe Keily, Vescovo di Plymouth.

Protonotarii Apostolici ad instar participantium:

4 Febbraio 1927. Monsig. Tommaso Guglielmo Morton, dell'archidiocesi di Winnipeg.

15 Marzo » Monsig. Emilio Lesne, della diocesi di Lilla.

Prelati Domestici di S. S.:

22 Giugno 1926. Monsig. Giovanni J. Sheridan, della diocesi di Syracuse (U. S. A.).

25 Gennaio 1927. Monsig. Francesco Sawicki, della diocesi di Culma.

25 Gennaio 1927. Monsig. Bernardo Dembek, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Alfonso Mankowski, della medesima diocesi.
26 » » Monsig. Francesco Poletti, della diocesi di Reggio Emilia.
29 » » Monsig. Porfirio Cordeiro, del Patriarcato di Lisbona.
31 » » Monsig. Umberto Leonardi, della diocesi di Macerata.
4 Febbraio » Monsig. Pietro Ortolani, della diocesi di Recanati.
» » » Monsig. Agostino Giorgetti, della diocesi di Loreto.
5 » » Monsig. Ignazio Klein, dell'archidiocesi di Milwaukee.
25 » » Monsig. Romolo Genuardi, dell'archidiocesi di Palermo.
1 Marzo » Monsig. Ernesto Ruffini (Roma).
5 » » Monsig. Giorgio Nightingale, della diocesi di Menevia.
16 » » Monsig. Basilio Pordea, della diocesi di Gherla.
18 » » Monsig. Alfonso Barbe, della diocesi di La Rochelle.

ONORIFICENZE

Con Brevi Apostolici, il Santo Padre Pio XI, felicemente regnante, si è degnato di conferire:

La Gran Croce dell'Ordine di San Gregorio Magno, classe civile:

3 Dicembre 1926. Al Sig. Emmanuele Domecq, Visconte di Almocaden, dell'archidiocesi di Siviglia.

La Placca dell'Ordine di San Gregorio Magno, classe civile:

14 Marzo 1927. Al Sig. marchese comm. Edoardo Persichetti (Roma).

La Commenda dell'Ordine di San Gregorio Magno, classe civile:

10 Novembre 1926. Al sig. Giuseppe Carroll, del vicariato apostolico di Buona Speranza.
28 Gennaio 1927. Al sig. dott. Pietro Amoroso, dell'archidiocesi di Napoli.
15 Febbraio » Al sig. arch. Pietro Guidi (Roma).
24 » » Al sig. Arturo Guido Ellis, dell'archidiocesi di Westminster.
25 » » Al sig. Gastone Bary (Francia).
12 Marzo » Al sig. Augusto Perfetti de Michelangeli, della diocesi di Madrid-Alcalá.

Il Cavalierato dell'Ordine di San Gregorio Magno, classe civile:

9 Settembre 1925. Al sig. Alfonso Goossens, della diocesi di Gand.
15 Febbraio 1927. Al sig. ing. Oreste Manno (Roma).
18 » » Al sig. Giovanni Francesco Wegg-Prosser, dell'archidiocesi di Westminster.

22 Febbraio 1927. Al sig. Ettore Rusticoni, dell'archidiocesi di Milano.
24 » » Al sig. Francesco Opalka, della diocesi di Königgrätz.
25 » » Al sig. Michele Scalbert, della diocesi di Lilla.
25 » » Al sig. Federico Mc Mullan, dell'archid. di Westminster,
26 » » Al sig. Francesco Simon, dell'archidiocesi di Rennes.
3 Marzo » Al sig. dott. Ernesto Szakach de Varsány, della diocesi di Cinque Chiese.
8 » » Al sig. ing. Corrado Meano, dell'archidiocesi di Torino.
11 » » Al sig. ing. Giuseppe Groppo, della medesima archidiocesi.
12 « » Al sig. ing. Giuseppe Mario Pugno, della medesima archid.
» » » Al sig. dott. Ernesto Böttrich, della diocesi di Paderborn.
» » » Al sig. dott. Giuseppe Jordans, della diocesi di Treviri.
14 » » Al sig. Pietro Bourgain Coppin, della diocesi di Arras.
23 » » Al sig. dott. Clemente Meuleman, della dioc. di Ruremonde.
» » » Al sig. Giuseppe M. F. Bogaers, della diocesi di Bois-le-Duc.
» » » Al sig. Alberto Carlier, dell'archidiocesi di Cambrai.

La Commenda dell'Ordine di San Silvestro Papa:

7 Ottobre 1925. Al sig. Giuseppe Kraus, della diocesi di Paderborn.
10 Febbraio 1927. Al sig. avv. prof. Antonio Cundari, dell'archid. di Cosenza.
1 Marzo » Al sig. Ernesto Le Boulangé, della diocesi di Namur.
12 » » Al sig. cav. Luigi Delle Piane, dell'archidiocesi di Genova.
17 » » Al sig. Giovanni Scheffer-Hoppenhöfer, della diocesi di Paderborn.
18 » » Al sig. Michele Ricciulli, dell'archidiocesi di Cosenza.
22 » » Al sig. Attilio Tuccari, della diocesi di Acireale.
24 » » Al sig. cav. Giovanni Maria De Gasperis (Roma).

Il Cavalierato dell'Ordine di San Silvestro Papa:

13 gennaio 1927. Al sig. dott. Francesco Panek, della diocesi di Culma.
» » » Al sig. Luigi Ruchniewicz, della medesima diocesi.
» » » Al sig. Giovanni Neumann, della medesima diocesi.
23 Febbraio » Al sig. Michele Hotz, della diocesi di Spira.
25 » » Al sig. Nicola Ripa, della diocesi di Lecce.
8 Marzo » Al sig. Carlo Visetti, dell'archidiocesi di Torino.
11 » » Al sig. Giovanni Maggini, dell'archidiocesi di Firenze.

NOTA: Il sig. Giovanni de Pontevice è stato radiato dall'albo dei Cavalieri dell'Ordine di San Gregorio Magno, e dal novero dei Camerieri di Spada e Cappa Soprannumerari. Ci consta che analoga misura è stata presa nei riguardi del medesimo dall'Ordine di Malta, e dall'Ordine del Santo Sepolcro.

MAGGIORDOMATO DI SUA SANTITÀ

NOMINE

Con Biglietti di S. E. Rma Monsig. Maggiordomo, il Santo Padre Pio XI, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

Camerieri Segreti Soprannumerari di S. S.:

1 Gennaio 1927. Monsig. Giovanni Origer, della diocesi di Lussemburgo.
5 » » Monsig. Giuseppe Umiński, della diocesi di Plock.
12 » » Monsig. Alfonso Hostert, della diocesi di Lussemburgo.
27 » » Monsig. Vincenzo Burakowski, della diocesi di Lodz.
» » » Monsig. Stanislao Szabelski, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Stefano Gostkonski, della medesimn diocesi.
» » » Monsig. Brunislao Jaskulski, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Stanislao Suchanski, della medesima diocesi.
22 Febbraio » Monsig. Stanislao Maśliński, della diocesi di Katovice.
» » » Monsig. Giovanni Sikora, della medesima diocesi.
23 » » Monsig. Giuseppe Gila (Roma).
» » » Monsig. Francesco Mac Dowell, dell'archidiocesi di Rio-Janeiro.
» » » Monsig. Paolo Savino, dell'archidiocesi di Napoli.
7 Marzo » Monsig. Enrico Rodriguez Alvarez, della diocesi di Calabozo.
» » » Monsig. Antonio Pröbsting, della diocesi di Münster.

Camerieri Segreti di Spada e Cappa Soprannumerari di S. S.:

12 Gennaio 1927. Il sig. conte de Ribaucourt, dell'archidiocesi di Bruxelles.
13 » » Il sig. barone Giovanni Libero Konopka, della diocesi di Tarnów.
16 Marzo » Il sig. visconte Arturo Roberto Pyers Southwell, della diocesi di Menevia.

Camerieri d'onore in abito paonazzo di S. S.:

1 Marzo 1927. Monsig. Giuseppe Calcagno, dell'archidiocesi di Palermo.
» » » Monsig. Giuseppe Marino, della medesima archidiocesi.
7 » » Monsig. Enrico Stühlen, dell'archidiocesi di Colonia.
10 » » Monsig. Luigi Civardi, della diocesi di Pavia.
17 » » Monsig. Giuseppe Rastelli (Roma).

Camerieri d'onore extra urbem *di S. S.:*

23 Febbraio 1927. Monsig. Rocco Basti, dell'archidiocesi di Lanciano e Ortona.
1 Marzo » Monsig. Giuseppe Casali, della diocesi di Ferentino.
» » » Monsig. Antonino Manno, dell'archidiocesi di Palermo.
21 » » Monsig. Antonio Signorini, della diocesi di Verona.

Cappellani d'onore extra urbem *di S. S.:*

28 Febbraio 1927. Monsig. Vito Mingiano, della diocesi di Lecce.
1 Marzo » Monsig. Salvatore Sarullo, dell'archidiocesi di Palermo.

NECROLOGIO

26 Febbraio 1926. Monsig. Giovanni Rooney, Arcivescovo tit. di Sergiopoli.
17 Marzo 1927. Monsig. Guglielmo Tommaso Russell, Vescovo di Charleston.
18 » » Monsig. Leopoldo Schuster, Vescovo di Seckau.
24 » » Monsig. Amilcare Tonietti, Arcivescovo tit. di Tiana.
28 » » Monsig. Giuseppe Medardo Emard, Arcivescovo di Ottawa.

LA PASSIONE DI NOSTRO SIGNORE, del Card. Gaetano De Lai. Seconda edizione riveduta ed ampliata, adorna di tre carte illustrative della città e dei dintorni di Gerusalemme e di una riproduzione del fac-simile del titolo della Santa Croce. In-16°, pp. 411 (gr. 490).

In Roma L. 12 — In Italia, franco di posta L. 13,50 Per l'Estero L. 14,50

DECRETA AUTHENTICA CONGREGATIONIS SACRORUM RITUUM ex Actis eiusdem collecta eiusque auctoritate promulgata sub auspiciis Domini Nostri Pii Papae XI. - Appendix II, ab anno 1912 (Num. 4285) usque ad annum 1926 (Num. 4404) - gr. 200.

Romae L. 12 — In Italia, vecturae pretio soluto L. 13 — Apud Exteros L. 14 —

Ligorio (S. Alphonsi Mariae de). - **THEOLOGIA MORALIS.** *Editio nova* cum antiquis editionibus diligenter collata, in singulis auctorum allegationibus recognita notisque criticis et commentariis illustrata, cura et studio P. Leonardi Gaudé e Congregationis Ssmi Redemptoris. - Quattro volumi in-4° (gr. 9150).

Romae L. 100 — In Italia, vecturae pretio soluto L. 110 — Apud Exteros L. 140 —

ANNUARIO PONTIFICIO per l'anno 1927

Volume in-12°, di pp. 956, adorno di un artistico ritratto di Sua Santità Pio XI. - Legato in tela rossa, con titolo in oro e stemma sul piano.

Prezzo per ogni copia:

In Roma L. 25 — In Italia, franco di posta L. 28 — Per l'Estero L. 35 —

RITUS SERVANDUS in Coronatione Imaginis B. Mariae Virginis. In-4°, pp. 8 in rosso-nero.

Romae L. 2 — In Italia, vecturae pretio soluto L. 2,50 Apud Exteros L. 3,25

BIBLIA SACRA, iuxta latinam vulgatam versionem ad codicum fidem, iussu Pii Pp. XI, cura et studio Monachorum Sancti Benedicti, Commissionis Pontificiae a Pio Pp. X institutae sodalium, praeside Aidano Gasquet S. R. E. Cardinale, edita. - **Librum Genesis,** ex interpretatione Sancti Hieronymi, cum prologis variisque capitulorum seriebus, adiectis prolegomenis, recensuit D. Henricus Quentin, Monachus Solesmensis. - Un volume in-8° di pp. xlviii-427, stampato su carta a mano macchina.

Prezzo (porto compreso) . . . . . L. 200 —

Il volume si vende rilegato ai prezzi seguenti:

a) Dorso ed angoli in pelle nera, titolo in oro . . . . . » 220 —

b) Dorso pergamena bianca con dorature, angoli di pergamena, titolo in oro (rilegatura romana) . . . . . » 225 —

c) La medesima rilegatura romana in tutta pergamena, dorso dorato e titolo in oro . . . . . » 255 —

(*Questi prezzi sono provvisori e potranno essere modificati secondo le circostanze*).

IN FESTO S. PETRI CANISII, Confessoris et Ecclesiae Doctoris (die 27 aprilis).

MISSA. In-folio, pp. 2, caratteri rosso-neri, nei margini 18×27 (gr. 5).

In Roma L. 0,60 In Italia, franco di posta L. 0,70 Per l'Estero L. 1,10

MISSA. In-4° piccolo, caratteri neri e rubriche in corsivo, *carta comune* (15×24).

In Roma L. 0,50 In Italia, franco di posta L. 0,60 Per l'Estero L. 1 —

OFFICIUM. In-16°, caratteri rosso-neri, carta indiana, pp. 8.

In Roma L. 0,80 In Italia, franco di posta L. 0,90 Per l'Estero L. 1,30

Veneunt Romae apud Administrationem Commentarii Officialis **"Acta Apostolicae Sedis"** (*Libreria Vaticana - Vaticano - Roma*).

CODEX IURIS CANONICI

PII X Pontificis Maximi iussu digestus, BENEDICTI Papae XV auctoritate promulgatus, praefatione Emi PETRI Card. GASPARRI et indice analytico-alphabetico auctus.

Voluminis pro varia forma pretium:

— **Editio in-18°** (cm. $9^1/_2 \times 15$), characteribus nitidis lectuque facillimis, charta subtili non translucida; fol. LXXII-918.

Romae L. **10** — In Italia, vecturae pretio soluto L. **11** — Apud Exteros L. **12** —

— **Editio in-18°** (cm. 9×14), characteribus nitidis lectuque facillimis, *charta indica;* fol. LXXII-918.

Linteo anglico contectum cum titulo aureo:

Romae L. **18** — In Italia, vecturae pretio soluto L. **19,50** Apud Exteros L. **20,50**

Pelle vitulina contectum, angulis rotundatis, dorso flexibili, sectione foliorum rubra, cum titulo aureo:

Romae L. **22** — In Italia, vecturae pretio soluto L. **23,50** Apud Exteros L. **24,50**

— **Editio in-12°** (cm. $12 \times 19^1/_2$), characteribus paulo maioribus ac perspicuis, charta subtili; fol. XXXII-870.

Romae L. **15** — In Italia, vecturae pretio soluto L. **17** — Apud Exteros L. **18** —

— **Editio in-18° cum Fontium annotatione** (cm. $9^1/_2 \times 15$), characteribus nitidis lectuque facillimis, charta subtili non translucida; fol. LXXI-1386.

Romae L. **12** — In Italia, vecturae pretio soluto L. **13,50** Apud Exteros L. **14,50**

Linteo anglico contectum, cum titulo ac stemmate aureo in dorso:

Romae L. **15** — In Italia, vecturae pretio soluto L. **16** — Apud Exteros L. **17,50**

— **Editio in-12° cum Fontium annotatione** (cm. $12 \times 19^1/_2$), characteribus nitidis lectuque facillimis, charta subtili; fol. XLVIII-932.

Romae L. **18** — In Italia, vecturae pretio soluto L. **20,50** Apud Exteros L. **22,50**

— **Editio in-8° cum Fontium annotatione** (cm. $16^1/_2 \times 26$), charta crassiore, characteribus grandiusculis; fol. XLVII-784.

Romae L. **30** — In Italia, vecturae pretio soluto L. **33** — Apud Exteros L. **36,50**

Excerptum e Codice Iuris Canonici ad usum religionum laicalium:

Legislazione canonica riguardante le religioni laiche (traduzione italiana autorizzata). In-12°, pp. 76 . . . . . L. **1,60**

Législation canonique concernant les religions laïques (traduction française autorisée). In-12°, pp. 72 . . . . . » **1,60**

Canonical legislation concerning religious (authorised english translation). In-12°, pp. 72 . . . . . » **2** —

Legislación canónica relativa á las religiones laicales (traducción española autorizada). In-12°, pp. 78 . . . . . » **1,60**

Die kirchliche Gesetzgebung bezüglich der nicht-priesterlichen klösterlichen Genossenschaften (bevollmächtigte übersetzung). In-12°, pp. 80 . . . . . » **2** —

Veneunt Romae apud Administrationem Commentarii Officialis "Acta Apostolicae Sedis„ (*Libreria Vaticana - Vaticano – Roma*).